OCTUPL

Hoc est,

Octo Paraphrases Poeticæ

PSALMI CIV.

Authoribus totidem *Scotis*,

Viz.

Georgio Buchanano Pædonomo } Regio,
Georgio Eglisemmio Medico }
Thoma Rhædo,
Arturo Johnstono Medico Regio,
Henrico Henrisono ab Elvingston M. D.
Gulielmo Stuarto Ochiltrio,
Niniano Patersono Glascuensi, & V. D. M.
Gualtero Deniston Ludimagistro Mussilburg.

Inseruntur

G. Eglisemmii Poëticum duellum. Nec non
Consilium Collegii Med: *Parisien.* } de eodem.
Et
Guil. Barclayi M. D. Judicium }

Hisce adjicitur
Propter Subjecti similitudinem, & Exemplarium inopiam,
JONAS Propheta, Heroico Carmine Latino descriptus,
Sebastiano Castalione Authore.

Edinburgi, Excudebant Hæredes & Successores *Andreæ Anderson*, Regiæ Majestatis Typographi, *Anno DOM.* 1696.
Et Venales prostant in Officina M. *Hen. Knox*, in Ædificiis vulgo dictis *the* Luckens-Bowers.

Hoc est,

Octo Paraphrases Poeticæ

PSALMICIV.

Authoribus totidem Scotis,

Viz.

Georgio Buchanano Bædonomo } Regio, I.
Georgio Bodgemanno Medico }
Thomæ Reidæo,
Arturo Johnstono Medico Regio,
Henrico Henrisono ab Elvingston M. D.
Guilielmo Stuarto Oculistrio,
Ninianæ Paterson Glascuensi, & V. [illegible]
Guilielmo Denistoni Ludimagistro Musil[illegible]

Inseruntur

G. F. Ammii Poeticum duellum. Necnon
Consilium Collegii Med. Parisien. } de eodem.
Et
Guil. Bardaii M. D. Judicium.

(Quæ

DOCTISSIMIS

Et in humanioribus literis

PERITISSIMIS,)

Gymnasiarchis, Philologis, Præceptoribus, Didascalis, Hypodidascalis, Pædagogis, &c.

NEC NON

Omnibus cujuscunque ordinis

Artium Amœniorum

Curatoribus, Cultoribus, Fautoribus, Literatorum & Literarum humaniorum amantibus,

(Et in hâc Classe memet colloco)

Octuplam hanc,

Cum aliis tractatulis annexis vel annectendis

In Testimonium debitæ observantiæ

erga studia hæc amœniora

(Omnium Artium & Scientiarum Basin & Fundamentum.)

D. D. Dque.

ANDREAS SYMSON.

V. D. M. D.

LECTORI.

HOc opus haud nostrum est.
Ego multa poëmata versans
(Jam pridem *scribi*, jam quoque *digna legi*)
Tractatusq; alios, quos invidiosa vetustas
Reddidit, aut raros, proh pudor! aut laceros;
Ut vix, ac nè vix totâ inveniantur in urbe
Mox, vereor, dicas, vix vel in Orbe, *licèt.*
Semisepulta jacent doctorum scripta virorum,
Mortua *si non sint; sunt* moribunda *tamen:*
Hæc ego dum meditor; miscebitur utile dulci
Dixi; si quis opem suppeditare velit.
Atque ita, nè pereant Quidam, *jam porrigo*
Mox alios, *si vis, lector amice, dabo.* (*dextram*)
Sunt mihi deliciæ; sunt cordi; Nectaris instar
Ambrosiaque mihi; sunt, mihi crede, dapes.
His ego mordaces curas, his otia pello.
His fago nomes, decipioque dies.
His disce, fateor, me sperni spernere, mundi
Spernere, crede, minas; spernere & illecebras.
Chartarum muris cinctus, murisq; librorum
Hinc, illinc; veluti tutus in arce, moror.
Atq; ego codicibus laceris dum versor, & ægris;
Nè dicar Medicus, *sed* Medicaster, *ego.*

Edinb. *Kal.* Octob. Andreas Symson.
M. DC. XCVI. V. D. M. D.

BARCLAYI
AMOENIORUM
ARTIVM & MEDICINÆ
DOCTORIS
IVDICIVM,

De Certamine G. EGLISEMMII cum G. BUCHANANO, pro dignitate Paraphraseos PSALMI CIIII.

NON VIOLANDI MANES.

Adjecta sunt, EGLISEMMII *ipsum Judicium, ut editum fuit* Londini, *typis* Edwardi Aldæi, *ann. Dom.* 1619.

ET

In gratiam studiosæ Juventutis, ejusdem Psalmi elegans paraphrasis THOMÆ RHÆDI.

Ad exemplar *Londini* impressum typis *Georgii Eldi*, 1620.

REVERENDISS
IN CHRISTO PATRI,

GEORGIO MONTGOMRÆO

Episcopo *Midensi* & *Clogherensi*,
Consiliario Regio, Præsuli doctissimo:

JACOBO FULLARTONO

interiori in Cubiculo Illustrissimi Principis Magnæ Britanniæ primo Nobili:

GULIELMO ALEXANDRO,

Supplicum Libellorum Magistro:

ROBERTO AITONIO,

Annæ felicis: m. optimæ Reginæ
Secretario:

Equitibus dignissimis, viris literatissimis, & literatorum parentibus, Patriæ luminibus:

Sylvester Volusenus Glascuensis.
S. P. D.

EDidit non ita pridem, Reverendissime Præsul ac viri clarissimi, *Geor: Eglisemmius* libellum quem inscripsit, nescio an satis examinatè, *Poeticum Duellum.* Hoc improbo labore certa de palmâ cum paraphrasi Psal. CIV; quâ paraphrasi olim decima Musa *Buchananus* tuli laurum de multis gentibus; & laudem à genere humano:

Omnia jam medium sunt mare.

An non insaniæ quoddam genus est, pocula cum vitula ponere? *Eglisemmii* huic morbo fecit medicinam suaviter, non nemo eleganti carmine: poematis ejus morbos curavit salubriter *Guil: Barclayus* medicinæ Doctor, prorsa oratione. Prius illud, & jucundum medicamentum vidistis, & femur fortasse præ risu percussistis: alterum jam vobis offero severioris materiæ, & extremum remedium, ferrum atque ignem.

Du

Duo mihi dicenda. Cur ego asseram, & cur vobis. Praescripsit quidem *Guil: Barclayus* & miscuit remedium, sed statuit ægro non offerre, non proferre in medium. Ego tamen extorsi è manibus nolentis volentis; & quo sum animo in patriam, subjeci prælo; ut viderent exteri, idem solum, quod peperit morbum, parere medicinam. Vobis autem offero, in his criticis, & literarum morbis, ut verè dicam, protomedicis: quibus patria nostra debet ob eruditionem, *Monumentum ære perennius*: & ego minimus popularium, omne officium, honorem, cultum. Tu enim sustines, dignissime Præsul, onus illud Episcopatus tanto trium regnorum applausu, ut glorientur bonæ artes se talem patrem; boni mores talem patronum habere.

Tu prudentissime *VULLARTONE*:
Flos delibatus populi, Suddaq; medulla,
Quem serenissimus Princeps, altera spes & hujus, & alterius orbis, ostendit dignissimum quem omnes amemus, colamus.

Tu, Poëtarum *Alexander*, quem ferret in oculis si viveret, *Buchananus*, quem tu nunc fers: cui assurgeret vetus orchestra Romanorum.

Tu tandem clarissime *Aitoni*, cujus cœlestis ingenii tot radios sensit & nostra Scotia, & nostra Britannia, & nostra, id est literatorum omnium solum & mater Gallia; ut nesciam, an tulerit Scotia subtiliorem subditum, post Scotum illum cognomine subtilem. Cur igitur vobis obtulerim *Guil: Barclayi Judicium*, satis luculenter docere merita vestra judico. Et quoniam de *Judicio* sermo est, finiam tribus prætoris verbis, *Do*, *Dico*, *Addico* me & has lituras vobis.

Sed ecce, dum sic finio, *Florentius Volusenus* cognatus & cognominis ille meus, vir quondam multæ politæ, & reconditæ eruditionis; vellit aurem, & admonuit, me debere hanc qualemcumque Defensionem *Buchanano* nostro amoris & officii merito propter monumentum perpetuum meritissimi viri manibus consecratum quod hic erigere libuit. Illi valeant, vos vivite.

LORENTIO VOLUSENO, Scoto
GEOR. BUCHANANUS.

Hic Musis Volusene jaces carissime, ripam
Ad Rhodani, terrâ quàm procul à patria.
Hoc meruit virtus tua, tellus quæ foret altrix
Virtutum, ut cineres conderet illa tuos.

D. IACOBO FVLLARTONO,
Hero suo meritissimo.

IVcundum est servire viro gratóque probóque;
Ipsa voluntatem gratia nempe juvat:
Quin juga ferre juvat, seu me ultima littora Thules
Visere, seu rigidos malis adire Getas,
Te sequar usque; tuis non obsequiosior alter
Imperiis, nec qui sit mage fidus erit.

GUIL. BARCLAT
AD G. EGLISEMMIUM
EPIGRAMMA.

MVltis note diebus, Eglisemmi,
Et annis mihi valdè amate multis:
Habet me malè, non pudet fateri,
Scribendi Cacoëthes hujus ævi,
Hoc te crimine liberum putaram,
Donec venerat in manum libellus,
Quo tu præcipuum Triariorum
Ad certamen es ausus evocare.
Sed oh! quot dabis omnibus, quot unis
Dabis Parisiis, amice, pœnas!
Qui non sorte, sed optione, Judex,
Pararunt tibi in arce Tullianum.
Ergo opprobria tempori recanta,
Et manus dato manibus Poëtæ:
Aut in carcere quadrupes peribis.

G. BAR

G. BARCLAYUS
MEDICINÆ DOCTOR
GEORGIO EGLISEMMIO
Medico Regio, amico suo
S. P. D.

PSalmos, materiem publicam, & in medio positam, poetica paraphrasi expressit eleganter Buchananus poeta, si temporis, si sermonis ratio habeatur, interioris nota. Ante eum, idem argumentum aliquot, post eum, plurimi tractaverant. Nemo tamen inventus est, qui auderet pulàm cum eo de lauru contendere, præter te, amice Egliseremi, cujus versus tàm cupide legi, quam incantè scripsisti: expectabam ab illo ingenii tui arvo mulier [illegible] & purpureum Narcissum: sed ut video;

Carduus & spinis surgit paliurus acutis.

Succenseo, nescio an dicam, temeritati tuæ; sed succenseo tibi, in modio Doctorum, in conspectu doctissimi Principis, ausa revocare in arenam jam diu rude donatum, & quasi quendam, ut ita loquar, Lanistam Poetarum. Tuli, ingenuè fateor, acerbè hoc certamen, & certè sæpius hæc mecum, Quid decent cis citrâque Alpes Literati! Nempe,

Certent & cygnis ululæ, sit Tityrus Orpheus.

Quis non stringet in te Calamum? Scotia te persequetur, cujus fuit proles; Parasini exsibilabunt, quorum fuit alumnus; Burdigalenses deridebunt, quos erudivit; Quid te fiet?

Cui neque apud Danaos usquam locus: insuper ipsi
Dardanidæ infensi.

Censeo (ut primus omnium eruditorum impetus comprimatur) carmen tuum domi verbis, non dicam verberibus castigandum. Sic sine dolo malo exteri minus duriter te excipiant. Hoc officii genus, ego verò, ac lubens suscepi, & tuâ, & patriæ, & poetæ caussâ. Carmen tuum ergo reddam incudi, te, ut decet, & ut debeo, multùm amabo. Valè.

GEORGII

GEORGII EGLISEMMII DE BUCHANANÆA CIIII. PSALMI POETICA PARAPHRASI JUDICIUM.

Uisquis Buchanani genium ritè noverit, ejusdem in Musas tyrannicæ licentiæ defendendæ gratiâ, prosodiam ab illo exaratam animadvertet; non minùs quàm Historiam Scotorum ad dialogos de jure Regni perperàm confirmandos. Adeò tamen in arte sua cæcutiit ut erroribus omni excusatione majoribus nihil possit potuerit unquàm prætendere.

In primis syllabam illustrium omnium (obscuriores nil moror) grammaticorum regulis longam, hic insulsè corripuit, nempe ultimam in *denus* à nomine (putà *de novo*) deductam.

Secundò Solœcismum turpiter commisit, his versibus:

Nec siterim immissa tellus stagnaret ab unda,
Limosus compressa suis resonantia plangit
Littora, præscriptas metuens transcendere metas.

Si enim epithetum (*compressa*) attribuat *telluri*, falsam reddit orationem: & ut loquitur *Julius Scaliger*, solœcismus erit in Philosophia. Sin attribuat *undæ*, solœcon dabit in Grammatica, subjectum & substantivum collocans in obliquo casu, epithetum in recto. Nec licebit ei se defendere inbaudiendo subjectum repetitum in recto, sola enim impersonalia hoc admittunt.

Tertiò carmina solutam potiùs orationem quàm heroici versus majestatem redolentia effudit ibidèm, hæc scilicet:

Pollenti

G. Eglisemmii Judicium, &c.

Pollenti stabilita manu terra obruta quondam, &c.
Veliferas circumnant puppes, grandia cete, &c.
Exultant tot monstra ingentia, & horrida visu, &c.

Nec non ista,

Te tollente animam subitò exanimata recurrunt
In cinerem, inspirante animam te denuò, surgit, &c.

Et illa,

At verò impietas planè extirpetur ab ima
Radice, & scelerum stirps nulla repullulet, ac nos.

Nec urgebo admodùm carmina quam proximè ad ridiculam leoninorum naturam accedentia, quorum medio & penthemimeri finis resonat. Nam etsi non invenusta sit quandoque literæ unius resonantia, ut:

Fluctibus ut fuso super ardua culmina velo,

Item

Nevè iterum immissa tellus stagnaret ab unda:

Tamen quò plurium literarum & quò pluribus versibus hæc resonantia fit, eò deformius carmen redditur. An qui venustatem assequi potest, nævis gaudebit ejusmodi?

Ætheris æternas rector moliris habenas, &c.
Te decor auratis, ambit te gloria pennis, &c.
Littora, præscriptas metuens transcendere metas, &c.
Pascua, quique feris onager saxa invia sylvis, &c.
Tutus ut abstrusis habitaret echinus in antris, &c.
Ducis ad occiduas constanti tramite metas, &c.
Inde superfusis cuncta involventibus umbris, &c.
Prædator vacuis errare leunculis arvis, &c.
Abditur occultis prædatrix turba cavernis, &c.
Fluctibus immensas circumplectentia terras, &c.
Squamigeræ tremulâ per stagna liquentia cauda, &c.
Quæque suo proprium poscunt in tempore victum, &c.
Et desolatus gens incolit aurea terras, &c.

Sapiunt hæc ferè incultum id seculum quo senes & circulatores rythmicis hexametris unicè delectabantur; cujusmodi celebratur illud marmoreæ cathedræ Westmonasterii appensum:

Nè fallax Serpens, &c. quæ quæque, &c.
Invenient [illegible]

Quasdam conjunctiones, &c. quæque, quæ, &c. toties iteratas posuit, nempe 34. ut nauseam pariant: ut *dominumque, patremque, & circumfusum, & liquidis, & levibus, flammæque tonitruque, imum, quique, multosque, silvisque, campisque, facundæque, quæque, quæque, quique, parentesque, quod, inque hominumque humumque, sed & æquora, & horrida, atque adeo, teque, quæque, & desolatæ, suumque, facilisque, bonusque, & scelerum, ac nos dominumque.*

Quinto elisiones plures, puta 35. in carmine posito parum ubi usurpandæ sunt, *Et venturum illi, accitus ebore, jussa accipiant, terra obruta, insumere agris, cernere cras, niveoterra humasse, suum invita, unde olus, geniale assurgat, quæque bilaret, quique bilaret, ubi implumes, luna incertus, parique accensum, cuncta inanluentibus, patrem exposcit, monstra ingentia & horrida, atque adeò, à te uno, tollente animam, subitò exanimata, in cinerem inspirante animam, suumque in secula, tantùm ille, nempè illo silebit, ut veri impletur, planè exstirpetur, radice & scelerum.*

Inter quas omnium duriſſimæ ſunt quæ in quiatum pedem proximè incidant; ut

Terra obruta quondam,
Saxa inuta ſilvæ.

Sextò congeſtio omnia ſupplementa miserè laboranti ingenii, *nempe, tum, tantum, ſic, undè, inde, tam, tot, tu te, tibi, his locis, tum liquidi fontes, tum ſera progenit, ne tantùm, tantum ille, ſic pater, ſic nat, tam variis, tam laxa tot millia, tot monstra, unde ſuum ſedent, inde pecus, unde olus, inde ſuperjuſis, te rerum, te deum, tu tibi, tu pater, tu timidis, tu lunæ, te patrem, te dicis, à te uno, te magnum, ac rurſus vultum, te tollente, teque, quæque, &c.* Quæ ab elegantia iterationis poeticæ longè diſtant, ob multorum carminum moram interjectam.

Septimò nugationes, ut *dein rurſus ſate renate, iterum, nullum finem per ævum, Patrem, patrem, patrem, genitor, pater, & pater optime, denique patrem.*

Ut phrasium duarum priorum nugationes patrocinio tegantur, obſervetur particulam (*re*) in vocum compoſitarum ſtructura idem penitùs deſignare, quod *rurſus*. Ergo re-

nata

nato, id est, *rursus nato*, proinde cum dixit, *dein rursus sole renato*, idem prestitit ac si dixisset, *dein rursus sole rursus nato*. Similiter *nullo cum fine*, idem valet quod *per ævum*. Id circò dum protulit; *nullo cum fine per ævum*, sensu perinde est ac si protulisset, per *ævum per ævum*. Deindè *per ævum*, id est, *nullo cum fine*; quare qui dixerit *nullo cum fine per ævum*, perinde loquetur, ac si diceret, *nullo cum fine, nullo cum fine*. Cætera seipsis patent.

Quinimò eorundem epithetorum reiteratio & diversis subjectis applicatio exibilanda est in tam exiguo poemate. *Per virides campos, virides ramos, viridis fœni, viridantis oliva, fœcunda semina, fœcunda tellus, levibus alis, levibus pennis.*

Octavò resonantia literarum finalium in vocibus similiter desinentibus in (a,) indigna est erudito poetâ. Ut in hoc poemate aliquotiés, nempe,

Squamigeræ tremulâ per stagna liquentia caudâ.

Item,

Exultant tot monstra, ingentia & horrida visu.

Et in æ,

Apparent accinctæ auræ flammæq; ministræ.

Nonò integrorum penè versuum, in aliis authoribus, & in ipso alibi positorum, mutuatio egestatem denotat, ut horum:

Ætheris æternas rector moliris habenas,

Item,

Donec sera rubens accendat lumina vesper.

Deniq; digressiones à sensu textus & omissiones partium textus, minùs rectam arguunt paraphrasin, ut collatione versuum cum sacro codice liquidò constabit.

Alia verò plurima Buchanani errata castigatione dignissima, ipsis tyronibus pulverem grammaticum versantibus obvia, ut *planget, ne stagnaret*, item *rugitus leunculi*, & similia, lubens prætereo; cuncta hæc limatissimo celeberrimæ Parisiensis Academiæ judicio submittens; hæc enim utriq; nostrûm benigna fuit parens studiorum.

His peractis observatiunculis, de illius & nostro poemate judicet qui volet; si qui volet, judicio valet incorrupto.

FINIS.

FLORENTIO VOLVSENO à Scoto
GEOR. BVCHANANVS.

Hic Musis Voluſene jaces cariſſime, ripam
Ad Rhodani, terrâ quàm procul à patria.
Hoc meruit virtus tua, tellus quæ foret altrix
Virtutum, ut cineres conderet illa tuos.

D. IACOBO FVLLARTONO,
Hero ſuo meritiſſimo.

IVcundum eſt ſervire viro gratóque probóque;
Ipſa voluntatem gratia nempe juvat:
Quin juga ferre juvat, ſeu me ultima littora Thules
Viſere, ſeu rigidos malis adire Getas,
Te ſequar uſque; tuis non obſequioſior alter
Imperiis, nec qui ſit magè fidus erit.

GVIL. BARCLAII
AD G. EGLISEMMIUM
EPIGRAMMA.

MVltis note diebus, Egliſemmi,
Et annis mihi valdè amate multis:
Habet me malè, non pudet fateri,
Scribendi Cacoëthes hujus ævi,
Hoc te crimine liberum putaram,
Donec venerat in manum libellus,
Quo tu præcipuum Trigiorum
Ad certamen es auſus evocare.
Sed oh! quot dabis omnibus, quot unis
Dabis Pariſiis, amice, pœnas!
Qui non ſorte, ſed optione, Judex,
Pararunt tibi in arce Tullianum.
Ergo opprobria temperi recanta,
Et manus date manibus Poëtæ:
Aut in carcere quadrupes peribis.

G. BAR-

G. BARCLAYUS
MEDICINÆ DOCTOR
GEORGIO EGLISEMMIO
Medico Regio, amico suo
S. P. D.

Psalmos, materiem publicam, & in medio positam, poetica paraphrasi expressit eleganter Buchananus poeta, si temporis, si sermonis ritûs habeantur, interioris notæ. Ante eum, idem argumentum aliquot, post eum, plurimi tractaverunt. Nemo tamen inventus est, qui auderet palàm cum eo de lauru contendere, præter te, amice Eglisemmi, cujus versus tàm cupide legi, quàm incantè scripsisti: expectabam ab illo ingenii tui arvo molles violas & purpureum Narcissum: sed ut video;

Carduus & spinis surgit paliurus acutis.

Succenseo, nescio an dicam, temeritati tuæ; sed succenseo tibi, in medio Doctorum, in conspectu doctissimi Principis, ausо revocare in arenam jam diu rude donatum, & quasi quendam, ut ità loquar, Lanistam Poeturum. Tuli, ingenuè fateor, acerbè hoc certamen, & certè sæpius hæc mecum, Quid decent cis citráque Alpes Literati! Nempe,

Certent & cygnis ululæ, sit Tityrus Orpheus.

Quis non stringet in te Calamum? Scotia te persequetur, cujus fuit proles; Puritani exsibilabunt, quorum fuit alumnus; Burdegalenses deridebunt, quos erudivit; Quid te fiet?

Cui neque apud Danaos usquam locus: insuper ipsi
Dardanidæ infensi.

Censeo (ut primus omnium eruditorum impetus comprimatur) carmen tuum domi verbis, non dicam verberibus castigandum. Sic sine dolo malo exteri minus duriter te excipient. Hoc officii genus, ego verò, ac lubens suscepi, & tuâ, & patriæ, & poetæ caussâ. Carmen tuum ergo reddam incudi, te, ut decet, & ut debeo, multùm amabo. Valè.

GEORGII

GEORGII EGLISEMMII DE BUCHANANÆA CIIII PSALMI POETICA PARAPHRASI *JUDICIUM.*

QUisquis Buchanani genium ritè noverit, ejusdem in Musas tyrannicæ licentiæ defendendæ gratiâ, prosodiam ab illo exaratam animadvertet; non minùs quàm Historiam Scotorum ad dialogos de jure Regni perperàm confirmandos. Adeò tamen in arte sua cæcutiit ut erroribus omni excusatione majoribus nihil solidè potuerit unquàm prætendere.

In primis syllabam illustrium omnium (obscuriores nil moror) grammaticorum regulis longam, hic insulsè corripuit, nempè ultimam in *denùo* à nomine (putà *de novo*) deductam.

Secundò Solœcismum turpiter commisit, his versibus:

Nec iterùm immissa tellus stagnaret ab unda,
Limitibus compressa suis resonantia plangit
Littora, præscriptas metuens transcendere metas.

Si enim epithetum (*compressa*) attribuat *telluri*, falsam reddit orationem: & ut loquitur *Julius Scaliger*, solœcismus erit in Philosophia. Sin attribuat *undæ*, solœcon dabit in Grammatica, subjectum & substantivum collocans in obliquo casu, epithetum in recto. Nec licebit ei se defendere subaudiendo subjectum repetitum in recto, sola enim impersonalia hoc admittunt.

Tertiò carmina solutam potiùs orationem quàm heroici versus majestatem redolentia effudit ibidèm, hæc scilicet:

Pollenti

G. Egliſemmii Judicium, &c.
Pollenti ſtabilita manu terra obruta quondam, &c.
Veliferas circumnant puppes, grandia cete, &c.
Exultant tot monſtra ingentia, & horrida viſu, &c.

Nec non iſta,

Te tollente animam ſubitò exanimata recurrunt
In cinerem, inſpirante animam te denuò, ſurgit, &c.

Et illa,

At verò impietas planè extirpetur ab ima
Radice, & ſcelerum ſtirps nulla repullulet, ac nos.

Nec urgebo admodùm carmina quam proximè ad ridiculam leoninorum naturam accedentia, quorum medio & penthemimeri finis reſonat. Nam etſi non invenuſta ſit quandoque literæ unius reſonantia, ut:

Fluctibus ut fuſo ſuper ardua culmina velo,
Item
Nevè iterum immiſſa tellus ſtagnaret ab unda:

Tamen quò plurium literarum & quò pluribus verſibus hæc reſonantia fit, eò deformius carmen redditur. An qui venuſtatem aſſequi poteſt, nævis gaudebit ejuſmodi?

Ætheris æternas rector moliris habenas, &c.
Te decor auratis, ambit te gloria pennis, &c.
Littora, præſcriptas metuens tranſcendere metas, &c.
Paſcua, quique feris onager ſaxa invia ſylvis, &c.
Tutus ut abſtruſis habitaret echinus in antris, &c.
Ducis ad occiduas conſtanti tramite metas, &c.
Inde ſuperfuſis cuncta involventibus umbris, &c.
Prædator vacuis errare leunculis arvis, &c.
Abditur occultis prædatrix turba cavernis, &c.
Fluctibus immenſas circumplectentia terras, &c.
Squamigeræ tremulâ per ſtagna liquentia cauda, &c.
Quæque ſuo proprium poſcunt in tempore victum, &c.
Et deſolatas gens incolit aurea terras, &c.

Sapiunt hæc ferè incultum id ſeculum quo ſenes & circulatores rythmicis hexametris unicè delectabantur; cujuſmodi celebratur illud marmoreæ cathedræ Weſtmonaſterii appenſum:

Ni

Ni fallat fatum, Scoti quocunque locatum,
Inveniant lapidem, regnare tenentur ibidem.

Quarto conjunctiones, *&, atque, que, ac*, toties iteratas posuit, nempe 34. ut nauseam pariant: ut *dominumque, patremque, & circumfusum, & liquidis, & levibus, flammæque, tonitruque, inque, quique, mulcentque, sylvisque, camposque, fecundaque, quæque, quæque, quique, puroque, & cœlo, inque hominumque bonumque, sed & æquora, & horrida, atque adeo, teque, quæque, & desolatas, suumque, facilisque, bonusque, & scelerum, ac nos, dominumque.*

Quintò elisiones plures, putà 35. in carmine polito parcius usurpandæ sunt, *Ut ventorum alis, accinctæ auræ, jussa acciperent, terra obruta, insonuere auræ, cernere erat, néve iterum immissa, saxa invia, unde olus, genitæ assurgat, quæque hilarent, quique hilaret, ubi implumes, lunæ incertos, puroque accensum, cuncta involventibus, patrem exposcit, monstra ingentia & horrida, atque adeò, à te uno, tollente animam, subitò exanimata, in cinerem inspirante animam, suumque in secula, tantùm ille, nempe illo oblector, ut verò impietas, planè extirpetur, radice & scelerum.*

Inter quas omnium durissimæ sunt quæ in quintum pedem proximè incidant, ut

Terra obruta quondam,
Saxa invia sylvis.

Sextò congessit omnia supplementa miserè laborantis ingenii, *nempe, tùm, tantùm, sic, undè, indè, tam, tot, tu, te, tibi. His locis, tùm liquidi fontes, tùm fera prorepit, nec tantùm, tantùm ille, sic pater, sic erat, tam variis, tam laxo, tot millia, tot monstra, unde sitim sedent, inde pecus, unde olus, inde superfusis, te rerum, te decet, tu tibi, tu pater, tu timidis, tu lunæ, te patrem, te dicis, à te uno, te magnum, te rursus vultum, te tollente, teque, quæque, &c.* Quæ ab elegantia iterationis poeticæ longè distant, ob multorum carminum moram interjectam.

Septimò nugationes, ut *dein rursus sole renato*, item, *nulli cum fine per ævum. Patrem, patens, pater, patrem, genitor, pater, & pater optime*, denique *patrem.*

Ut phrasium duarum priorum nugationes perspicuæ reddantur, observetur particulam (*re*) in vocum compositarum structura idem penitùs designare, quod *rursus*. Ergo *renato*

nato, id est, *rursus nato*, proindè cum dixit, *dein rursus sole renato*, idem prestitit ac si dixisset, *dein rursus sole rursus nato*. Similiter *nullo cum fine*, idem valet quod *per æv.m.* Id circò dum protulit; *nullo cum fine per ævum*, sensu perinde est ac si protulisset, per *ævum per ævum*. Deindè *per ævum*, id est, *nullo cum fine*; quare qui dixerit *nullo cum fine per ævum*, perinde loquetur, ac si diceret, *nullo cum fine, nullo cum fine*. Cætera seipsis patent.

Quinimò eorundem epithetorum reiteratio & diversis subjectis applicatio exibilanda est in tam exiguo poemate. *Per virides campos, virides ramos, viridis fœni, viridantis olivæ, fœcunda femina, fœcunda tellus, levibus alis, levibus pennis.*

Octavò resonantia literarum finalium in vocibus similiter desinentibus in (a,) indigna est erudito poetâ. Ut in hoc poemate aliquotiès, nempe,

Squamigeræ tremulâ per stagna liquentia caudâ.

Item,

Exultant tot monstra, ingentia & horrida visu.

Et in æ,

Apparent actinctæ auræ flammæq; minitræ.

Nonò integrorum penè versuum, in aliis authoribus, & in ipso alibi positorum, mutuatio egestatem denotat, ut horum:

Ætheris æternas rector moliris habenas,

Item,

Donec fera rubens accendat lumina vesper.

Deniq; digressiones à sensu textus & omissiones partium textus, minùs rectam arguunt paraphrasin, ut collatione versuum cum sacro codice liquidò constabit.

Alia verò plurima Buchanani errata castigatione dignissima, ipsis tyronibus pulverem grammaticum versantibus obvia, ut *planget, ne flagnaret*, item *rugitus leunculi*, & similia, lubens prætereo; cuncta hæc limatissimo celeberrimæ Parisiensis Academiæ judicio submittens; hæc enim utriq; nostrûm benigna fuit parens studiorum.

His peractis observatiunculis, de illius & nostro poemate judicet qui volet; si qui volet, judicio valet incorrupto.

FINIS.

AD GULIELMUM BARCLAYUM Poëtam, Medicum.

PHILOPOETÆ SCOTI.

Admonuit si fortè tuum deponere plectrum
Phœbus, & ad medicæ te vocat artis opus;
Hoc facit is metuens proprium ne perdat honorem,
Cùm tanti tua sit æmula lingua dei.
Sume igitur citharam, cùm sis jam factus Apollo
Noster, & invidiam sperne dolosque dei.

Ejusdem ad Tho: Rhædum.

At periisse, tibi tacitas si constat Amyclas;
Cur tibi Amycleo more perire placet?
Barbita si Phœbi taceant, quis barbita laudet?
Aut quis in iis usus, quidvè leporis erit?
Si prædulce melos tacuisset Thracius Orpheus,
Nec fera, nec cœptum sisteret amnis iter.
Gemmatas nisi pandat avis Junonia pennas,
Incassum tantas Argus haberet opes.
Tu quoque Pieridum si munera sacra recondas,
Munera Pieridum deperiisse puta.

Ad GEOR. EGLISEMMIUM.

Tunè sacros audes infensâ voce Poëtas
Spernere, Pierio non bene grata choro?
Saxa, ferasque truces cantu Rhodopeius Orpheus,
Et potuit Stygium perdomuisse canem.
Captus Arionidâ Delphin dulcidine vocis,
Illæsum placido tergore vexit onus.
Melliflua Tyrios Amphion carmine montes
Transtulit, & Lyricâ mœnia struxit ope.
At tu si pergis vates contemnere, dicam;
Cautaseis saxis, durior esque feris.

In eundem.

Quem Galli, Hispani, Germana ac Itala tellus
Vincere non poterant, tentat Eglisemius:
Impar congressus, dum Aquilam certare Leoni
Cernimus implumem: mox subit inde pudor.

Impa-

Imparilitas.

Ut ſublime volans tenuem ſecat aëra Falco ;
Ut paſcuntur humi Graculus, Anſer, Anas :
Sic ſummum ſcandit ſuper æthera Buchannanus :
Sic ſcit humi tantùm ſerpere Egliſhemius.

De G. BUCHANANO.

ILLic imperium fore jactavere Quirites,
Eſſet ubi ſedes, Scipio magne, tua.
Illic Pierides, illic erit alma poëſis,
Illic Phœbus erit, quâ Buchananus erat.
Cernis, ut ad Scotos migrent, Helicone relicto,
Laurigeræ, tanti vatis amore, Deæ ?
Necquè ullo reditus ſpes ævo eſt : ergo vocabo
Scotum, Heliconiaden, anne Caledoniden ?

In eundem.

NOmen ab ore tibi, quia Bucca & lingua lepore
Plena eſt, melliſluis plenaq; verba modis.
Hanc prudens animus doctis conceptibus ornat,
Formatis doctæ Palladis ingenio.
Pallada cum Phœbo Aonides comitantur, & implent
Cœleſti dono, quæ tua Muſa canit.
Hinc te omnes meritò laudant, celebrantq; canentem
Quæ ſemel edideris, dum tua ſcripta legunt.

In eundem.

DUm Jephten tragico Buchananus ſyrmate veſtit,
Dum Latiâ Iſaiden tangere plectra docet :
Dum caſtis ſic tincta jocis Epigrammata ludit,
Ut metuat palmæ Bilbilis ipſa ſuæ :
Aſpicis ut Clariâ Vates nutritus in Aula,
Nectareos roſeo fundit ab ore ſonos.
Atq; imo Pindum cerebro ſibi condit, & unâ
Præcellit venâ Bellerophontis aquas.

Sole, amœnus, æſtuo.

Temeraria EGLISHEMII audacia.

Longævum, priſciſq; parem ſummumq; poëtam,
(Illius oppoſito nomen in orbe viget)
Imberbis medicus, qui non prius induit arma,
Horrida (quid referam?) Martis ad arma vocat.
Sed fuge: te inſequitur magni levis umbra poëtæ.
Si ſapis, iſta manu tela tremente cadant.
Dum fugis hanc plenis vocem da pallidus ore,
Imberbi medico parce poëta tuo.

G. S.

Beza, & Turnebus, Scaliger paterq; utq; Joſephus
Te, Buchanane, ſuper ſydera laude locant.
Fruſtrà igitur verbis famam detraxerit ullus
Nec Graiis tinctis Auſoniove ſale.
Quid Stephanum referam? Taſſæum? quidve Meliſſum?
Quidve Europa alios quos ſpatioſa tenet?
Queis erit æternùm Buchanani nomen honeſtum,
Fulgens Phœbæis ob meritum titulis.
Hi Buchanano omnes vivo numerantur amici,
Dum valuit fœlix reddere dona manu.
At Barclaie manes obitum poſt fidus amicus,
Abſtergens nitido crimina falſa ſtylo.
Nec tantùm egregius ſentit tua munera vates:
Sed cara avertis dedecus à patria.
Romulus & Coſſus, vel non Marcellus opimis
Ornati ſpoliis te potiora gerunt.
Tollica perpetuo domus eſt celebranda canore
Ex qua tam docti proſiliere viri.

Jacobus Balliolus.

Ad D. D. BARCLAYUM Medicinæ & Philologiæ profeſſorem.

Hoc vetus eſt dictum, Medici præbete medelam
Vos vobis, manuam non levat arte ſuam
Doctor Egliſſemius, medicaſtrum quis putet arte
Præſtare in medicâ? quis ferat alter opem?

Rem

Rem magnam aggrederis medicorum gloria, gentis
Et decus, & Clarii gloria magna chori,
Mi Barclaye, tuâ poteris medicabile vulnus
Arte levare, animi quis levet arte luem?
Tollere si poteris, fueris mihi magnus Apollo,
Fama perennis erit, si potis arte leves.
Ad limam revocas incondita carmina Mævî,
Qui tentat Davidis ore ciere modos.
Ad vivum resecas; proprio te armabit Iambo,
Si pergat rabidus rodere dulce melos
Dente Theonino, si interstrepat anser olores,
Morte Lycambæâ crimina tanta luet.

G. W.
Neaberdeanus.

EPITAPHIUM
G. BUCHANANI SCOTI

PER

Josephum Scaligerum Jul. Cæs. filium.

POstquam laude tua patriam, meritisq; beasti,
Buchanane, tuis, Solis utrumq; latus,
Contemptis opibus, spretis popularibus auris,
Ventosæque fugax ambitionis, obis.
Præmia quina quater Piseæ functus Olivæ,
Et linquens animi pignora rara tui:
In quibus haud tibi se anteferent quos Itala vates
Terra dedit. nec quos Gallia mater alit,
Æquabunt genium felicis carminis, & quæ
Orbis habet famæ conscia signa tuæ.
Namq; ad supremum perductæ Poëtica culmen
In te stat, nec quo progrediatur, habet.
Imperii fuerat Romani Scotia limes:
Romani ploguit Scotia finis erit.

PARA

PARAPHRASIS PSALMI CIIII AUTHORE *BUCHANANO.*

1. TE rerum Deus alme canam Dominumque Patremque
Magne Parens, sanctâ quam Majestate verendus,
Ætheris æternas rector moliris habenas!
Te decor, auratis ambit te gloria pennis,
2. Et circumfusum vestit pro tegmine lumen.
3. Tu tibi pro velo nitidi tentoria cœli,
Et liquidas curvo suspendis fornice lymphas:
Et levibus ventorum alis per inania vectus,
Frænas ceù celeres volitantia nubila currus.
4. Apparent accinctæ auræ, flammæque ministræ,
5. Ut jussa accipiant. Stat nullo mobilis ævo
Terra, super solidæ nitens fundamina molis,
6. Pollenti stabilita manu, terra obruta quondam
Fluctibus, ut fuso super ardua culmina velo:
7, 8. Sed simul increpuit tua vox, tonitrúque tremendo,
Insonuere auræ, paulatim ascendere montes
Cernere erat, sensimque cavas subsidere valles,
Inque cavas valles trepidas decurrere lymphas.
9. Nevè iterum immissâ tellus stagnaret ab undâ,
Limitibus compressa suis resonantia plangit
Littora, præscriptas metuens transcendere metas:
10. Tum liquidi fontes imis de collibus augent
Flumina, per virides undas volventia campos.
11. Unde sitim sedent pecudes, quæ pinguia tondent
Pascua, quique feris onager saxa invia sylvis
12. Incolit. Hic levibus quæ tranant aëra pennis,
Per virides passim ramos sua tecta volucres
Concelebrant, mulcentque vagis loca sola querelis.
13, 14, 15. Tu Pater aërios montes, campósque jacentes
Nectare cœlesti saturas, fœcundaque rerum
Semina vitales in luminis elicis oras.
Unde pecus carpat viridis nova pabula fœni,
Unde olus humanos geniale assurgat in usus; Quæque

PARAPHRASIS PSALMI CIIII AUTHORE *EGLISEMMIO*.

MEns age, depositâ curarum nube, canoras
Pange Deo laudes. O inviolabile Numen
Imperio penetrans magni sacraria mundi,
Te niveâ cinctum radianti lucis amictu
Splendor, & aurato velamine gloria vestit.
Tendis ut aulæum rutili flammantia cœli
Culmina, mobilibus cœnacula ponis in undis.
Temones densisque rotas è nubibus aptans.
Ventorum alato peragras sublimia curru.
Servitum properat flamma comitante voraci
Spirituum pennata cohors. Ne sedibus unquàm
Pulsa datis abeat tellus compage solutâ,
Libratur gravitate sui; ceu veste fluenti
Alta superfuso velante cacumina ponto,
Delituit quondàm; tua vox ubi sacra profundum
Increpuit, tonitrúque poli sonuere fragosa
Murmura, præcipites fugiunt in cærula fluctus.
Conspicui nudata levant fastigia montes,
Subsidente cavis humili cum vallibus agro,
Labitur ad priscos aqua per declivia fines.
In varios collecta sinus, transvolvier illinc
Nescia, plangendo resonantia saxa lacessit,
Ne liquido rursum latitet sub marmore tellus,
Fontibus è nitidis valles, argenteus, implet
Per tumidos rivus flectens vestigia colles.
Libabit latices campis quæcunque vagatur
Bellua, qui sylvis onager se tristibus abdit
Eximat ille sitim: volucris quæcunque strepenti
Verbere pennarum vacuos nitetur in auras
Hospitio frondente toros structura loquaces,
Mulceat hic vocum tremulo discrimina cantu.
Ambrosio montes irrorant astra liquore,
Muneribus satiata tuis, pecorique virisque

Aptas

Quæque novent festas cerealia munera vites,
Quæque hilarent mentes jucundi pocula vini,
Quique hilaret vultum succus viridantis olivæ,
16, 17. Nec minùs arboribus succi genitabilis humor
Sufficitur. Cedro Libanum frondente coronas
Alitibus nidos: abies tibi consita surgit,
Nutrit ubi implumes peregrina ciconia fœtus.
18. Tu timidis montes damis, cava saxa dedisti,
Tutus ut abstrusis habitaret echinus in antris.
19. Tu Lunæ incertos vultus per tempora certa
Circumagis, puroque accensum lumine Solem
Ducis ad occiduas constanti tramite metas.
20. Inde superfusis cuncta involventibus umbris,
Per tacitas spargis nocturna silentia terras.
21. Tum fera prorepit latebris, sylvisque relictis
Prædator vacuis errare leunculus arvis
Audet, & è cœlo mugitu pabula rauco
22. Te Patrem exposcit: dein rursus sole renato,
Abditur occultis prædatrix turba cavernis:
23. Inque vicem subeunt hominumque boumque labores,
Donec sera rubens accendat lumina vesper.
24, 25. Sic Pater in cunctos didis te commodus usus.
Nec tantum tellus Genitor tua munera sentit,
Tam variis fœcunda bonis; sed & æquora Ponti
Fluctibus immensas circumplectentia terras
Tam laxo spatiosa sinu: tot millia gentis
Squamigeræ tremulâ per stagna liquentia caudâ
26. Exultant: tot monstra ingentia & horrida visu
Veliferas circumnant puppes; grandia cete
Effingunt molles vitreo sub marmore lusus.
27. Atque adeo quæ terra arvis, quæ fluctibus æquor
Educat, à te uno pendent, pater optime, teque
Quæque suo proprium poscunt in tempore victum.
28. Te magnam pandente manum saturantur abundè
29. Omnia: te rursùs vultum condente fatiscunt.
Te tollente animam, subito exanimata, recurrant
30. In cinerem, inspirante animam te denuò, surgit
Illicò fœcundæ sobolis generosa propago,
Et desolatas gens incolit aurea terras.
31. Sic eat, ò nullo regnet cum fine per ævvm

Majestas

Aptat obſequiis, alimentis dulcibus aptat,
Promit humus teneris gemmantes floribus herbas,
Pampineos animis nectentes gaudia ſuccos,
Et baccas olea fragrantis ut ora ſerenent,
Et cererem valido firmantem corda vigore.
Arboreos fœtus, tineis impervia cedri
Robura tu ſaturas, Libani quæ conſita celſo
Vertice, progeniem volucrum nidoſque tuentur.
Nec minus eſt fœlix abies, hâc vimine texta
Pendula caſtra novat clangente ciconia roſtro.
At lepori ſilices, pavidis juga ſenta receſſum
Concilias damis: conſtanti temporis ortu
Inconſtans lunare decus renovare figuras,
Occiduoque jubes pelago decumbere Solem.
Tecta ſoporiferos picea caligine vultus
Nubila diffundis tacitam ducentia noctem.
Prorupit interea ſpeluncis acre ferarum
Agmen, & auxilium cœleſte leunculus eſcam
In prædam exorans, rugitibus æthera pulſat.
Sole recens orto latebroſis invia dumis
Antra ſubit: remeant alacres ad plauſtra coloni,
Donec purpureus det ſera crepuſcula veſper.
Sancte opifex quanto moliris cuncta decore,
Conſilioque ſtruis! Moles terrena tuarum
Dives opum exultat; late circumſonat ingens
Oceanus; ſeu parva lubet, ſeu magna ciere
Corpora ſquammigerûm, vitrea complectitur alva
Innumeras pinnâ fluitantes remige turbas.
Pandentes levibus naves cita carbaſa ventis,
Marmoreoque ſinis balænas gurgite paſſim
Carpere jucundos placido molimine ſaltus.
In te ſumme parens hæc inclinata recumbunt
Omnia, temporibus victum poſcentia certis.
Te dante accumulant, dextrâ laxante remittunt
Exaturata bonis, vultum celante paveſcunt.
Vitales reſecante moras animæque nitorem,
Protinùs in tenuem vertuntur pulveris umbram.
Aſperſo redivivus tuo ſpiramine ſurgunt,
Squallentique redit facies latiſſima terræ.
Compleat æterno venientia jacula plauſu

Majestas divina, suumque in sæcula lætus
32. Servet opus Deus, ille Deus, quo territa tellus
Concutiente tremit, montes tangente vaporant,
Fumifera trepidum nebulâ testante pavorem.
33. Hunc ego, dum vivam, dum spiritus hos regit artus
34. Usque colam; tantùm ille meas facilisque bonusque
Accipiat voces: nempe illo oblector in uno.
35. At verò impietas planè extirpetur ab imâ
Radice, & scelerum stirps nulla repullulet: at nos
Te rerum Deus alme patrem Dominumque canemus.

FINIS.

Ad Effugium Vacui in hisce pagellis, adjecimus Ecphrasin hujus paraphraseos Buchanani per *Alexandrum Julium Edinburgenum*:

PSAL. CIIII.

Psaltes seipsum ad Deum laudandum concitat, à rerum creatione, dispositione, administratione, & conservatione; hinc omnes secum ad Deum laudibus celebrandum hortatur, contràque venientibus malè precatur.

1, 2, 3. TE, Jehova, qui omnia sustines & alis, rerum universitatis creatorem & regem omnium potentem prædicabo: potens mundi conditor, quàm honorandus es ob venerabilem maximæ potestatis tuæ authoritatem! qui rex æternus regimen cœli perpetuum tractas, pulchritudo & magnificentia in operibus tuis elucens, alis quasi aureis famæ illustris diffusè volans te circumcingit; splendórque loco vestis fulgentis undique te circundat: tu loco tegumenti cœlum nitidum ceu papilionem circumquaque expansum, aquásque puras virtute tua fultas arcu pando pendere facis; pérque aerem vacuum à ventis volucribus portatus, nubes vagas instar vehiculorum velocium gubernas. 4. Venti etiam tanquam angeli tui ad imperata faciendum parati sunt, ignésque ad serviendum tibi astant, ut mandata tua audiant. 5 Terra loco suo nunquam movenda superincumbens centro magnitudinis suæ compactæ, quasi rupis firmæ fundamento,

vi

Fama Jovæ: charas, operum monumenta suorum
Delicias rex usque vocet, cui visa repentè
Terra tremit, rupes tactæ radicè vacillant
Exudat refugos dorso fumante vapores.
Carmen erit Deus iste mihi, quòd ultima vitæ
Lineæ succedet, mihi pars quòd ulla superstes,
Illi sacra canam memori præconia cultu.
Dulce melos meditatus ei, lætabor eodem;
Rapta sed in nihilum terræ gens prava relinquat.
Pange Deo laudes positis mens libera curis.

FINIS.

vi inenarrabili & arte potentiæ divinæ confirmato, consistit. 6. Terra hæc olim aquis operta fuit, ceu tegumento super altissima quæque montium cacumina superinducto, *eorum vertices longè superante:* 7, 8. Sed simul atque vox tua illas increpantis sonuit, aërque terribili nubium ruptarum fremitu murmur edidit, quilibet videre poterat, aquis recedentibus, montes sese sursum versum pedetentim attollere, locaque depressa sensim descendere, aquas etiam quasi præ metu festinantes, in loca humiliora defluere. 9. Ac ne terra instar stagni staret ab aquâ ad eam denuò operiendam invecta, unda certo termino cohibita terram adjacentem fragore fluctuum graviter sonantem, percutit, formidans limites sibi assignatos transire. 10. Tum scaturigines aquæ puræ è radicibus collium fluentes, dant incrementum amnibus aquas suas per agros gramineos trahentibus; 11. E quibus animalia mansueta, quæ pabula læta carpunt, asinusque sylvester rupes difficiles in nemoribus incultis habitans, bibendi aviditatem diminuant. 12. Aves quoque quæ aëra celeri volatu transeunt, suos hic nidos ubique per arbores virescentes frequentes adeunt; cantuque passim per agros querulo, solicitudines jucundiores reddunt. 13, 14, 15. Tu montes insuper excelsos agrosque depressos, rerum creator, succo pluviæ cœlitus misso, ad saturitatem usque irrigas, primáque rerum omnium semina, & elementa feracia in fines, in quas lumen diffunditur, id est, in terram, quam res animatæ habitant, trahis, è quibus seminibus animalia mansueta recentem herbæ pastum colligunt;

e quibus etiam herbæ edules naturæ hominum convenientes, ad eorum victum oriuntur: unde frumenta, quæ a Cerere inventa finguntur, virosque languentes recreant, enascuntur: unde etiam vinum animis humanis lætitiam afferens, oleumque viride vultum gratiorem reddens proveniat. 16, 17. Aqua etiam pluvialis ad res gignendas & augendas faciens arboribus abs te subministratur. Tu Libanum montem cedro arbore frondem multam habente ad habitacula avibus præbenda circumcirca cingis. Abies plantata per te crescit, tibi ciconia certo tempore aliunde advolans teneros & nudos adhuc pullos educat. 18 Tu damis meticulosis loca excelsa & ardua, saxa autem cavernosa tribuisti, ut in eorum spelunicis occultis erinaceus sine periculo permaneret. 19. Tu faciem Lunæ mutabilem statis temporibus circumducis, Solemque lumine claro lucentem orbita certa ad finem usque occidentis quasi dux itineris agis. 20. Post autem Solis occasum obscuritate omnia complectente inducta, taciturnitatem nocturnam per terras quiescentes fundis. 21. Tum animalia indomita furtim e caveis suis exeunt, leoque præda vivens, sylva egressus audet in agris ab hominum conversatione liberis vagari, rugituque aspero cœlitus abs te creatore suo victum petit. 22. Deinde, sole iterum oriente, animalia præda viventia latibulis secretis sese occultant. 23. Viciſſimque hominum & jumentorum operæ, in agro potissimum colendo positæ, succedunt, donec hesperus rutilus faces nocturnas illuminet. 24, 25. Sic te, pater ad omnia, quæ animantibus usui esse possunt apte accommodas; nec terra solum, pater, tot generibus frugum fructuumque locuples, sed mare etiam tam capaci gremio late patens, terrasque vastas aquis complectens, munificentiam tuam percipit: tanta piscium squamosorum multitudo, per aquas liquidas cauda tremente ludunt. 26. Totque prodigiosæ animalium facies magnæ fœdæque aspectu, naves, vela quibus iter faciunt, & regūntur, ferentes, circumeunt. Tot pisces amplæ magnitudinis sub mari perspicuo lusiones delicatas exprimunt. 27. Insuper etiam, *Ut pancis omnia complectar*, quæ terra agris suis, quæque mare aquis animantia nutrit, vitam & spiritum a te solo habentia, ab eodem omnia ad vitam tolerandam necessaria expectant, singulaque conveniens sibi nutrimentum, cum opus est, abs te petunt. 28. Te autem manum largam aperiente, omnia ad satietatem copiose accipiunt. 29. Te vero rursus faciem tuam abscondente, tabescunt, te vitam auferente statim mortua in pulverem redeunt; 30. Te denique rursum vitam inflante, nova progenies prolis copiosæ generis optimi accrescit, soboleſque nobilis recenter procreata terras cultoribus prius destitutas habitat. 31. Ita semper fiat. Deique laudatio perpetuo vigeat; utinam etiam Deus ille immensæ potestatis regnum suum indesinenter exerceat, resque omnes a se creatas in perpetuum amanter custodiat; 32. Ille (inquam) Deus, quo dum fervet ira, terram commovente, eadem perculsa labascit: quo etiam manum montibus admovente, montes vapores confestim emittunt, nube tenui instar fumi eorum timorem indicante; 33. Hunc ego Deum, quamdiu ero, ac dum spirabo, semper venerabor; 34. Illud autem tantum postulo, ut benevolus ille & benignus orationem meam admittat, namque ejus solius voluptatem capio. 35. At impii sceleſtam de Deo opinionem habentes, radicitus evellantur, nullaque scelerum planta recrescat; nosque te authorem & regem solum omnium potentem, Jehova, confessi prædicabimus.

Adjecimus

Adjecimus etiam

CONSILIUM

Collegii Medici *Parisiensis* De Mania G. *Eglisheмii*, Quam prodidit Scripto,

cui Titulus:

Duellum Poëticum pro dignitate Paraphraseos PSALMI CIV.

Decertantibus

G. { *Eglisheмio Medico* / *Buchanano Pædonomo.* } Regio,

Quod Parisiensis Academiæ judicio submisit.

Ad exemplar Edinburgi *impressum, A. D.* 1619. *Typis* Andreæ Hart.

Quæ *Buchananeis* Medicaster crimina Musis
Objicit, & quo se jactat inane melos,
Vidimus: & quotquot tractamus Pæonis artes
Hic vates, uno diximus ore, furit.
Est furor hic, sed non qualis solet esse Poëtis,
Pectora Pierio cum caluere Deo.
Hic Athamanteas furias, hic cernis Orestæ.
Thyas *Eglisheмium* vel Corybantes agunt.
Atra sedens illi circum Præcordia bilis
Æstuat, & cerebrum corripit omne lues.
Transversum rapitur mens hoc infecta veneno,
Et quæ vix audet fabula, monstra parit.
Se regem putat opilio, bellumque minatur
Horridus, & trepidas fulminat inter oves:
Sceptrum est vile pedum, sunt hirtæ purpura pelles,
Est casa parva domus regia, rapa dapes.
Hic tacitus captat, sibi visus aranea, muscas;
Hic, tritici granum se ratus, horret aves.
Sunt vitreum, sunt qui credant sibi fictile corpus,
Occursumque hominum, compitaque ipsa timent.
Vidi etiam qui se vitales crederet auras
Liquisse, & Stygias jam penetrasse domos.

Non

Non illi conjunx, non illi pignora curæ.
Nec fas humanas vel tetigisse dapes.
Pat *Eglisbemii* furor est: sese ille poëtam
Credit, & Aonium pulsat ineptus ebur.
Non aliter dulces interstrepit asser olores,
Aut patulo cornix cum vocat ore Notos.
Suavius æra sonant Corybantia, suavius illo
Arcadicum posset plectra movere pecus.
Blanditur tamen ille sibi, non ipsa *Maronis*
Carmina, Mæonidæ non putat æqua suis.
Nec furor has intra potuit consistere metas,
Ipsa sed indignis conspuit astra modis.
Te vatum, *Buchanane*, decus quem suspicit orbis,
Prisca cui assurgunt sæcula, dente petit.
Ille tuis audet demens oppedere Musis,
Quodque nequit livor perdere, rodit opus.
Vatis Jessiadæ cultu donata Latino
Carmina sunt illo judice digna focis.
Hæc linit, hæc radit, nec sævos abstinet ungues,
Cuncta aboleris, numeros substituitque suos.
His Rex quæsitus patronus, *Gallia* judex,
Testes quot populos maximus orbis habet.
Pro pudor, excussis vesana licentia frænis
Jam ruit, & scelus est, quod fuit ante furor.
Spernitur & fœdis violatur charta lituris,
Quam pinxit radio Cynthius ipse suo.
Quodque Deo cecinit plectro meliore Camœna,
Impia nunc audet radere lima melos.
Exutum queritur *David* se regis amictu
Miraturque suo plectra carere sono.
Nec monstrum hoc parcit patriæ, patriæque parenti,
Ista quibus demens scripta legenda dedit.
Si qua Caledonio facta est injuria vati,
Scotia, te, regem tangit & illa tuum.
Te penes illius sunt incunabula, ab illo
Parva licet, magnum, *Scotia* nomen habes,
Quam jactat Latium, nil præter furta Deorum,
Bellaque magnisoqui Musa *Maronis* habet,
Inspirat melior *Buchanani* pectora *Phœbus*,
Et facit ut puro nectare vena fluat.

Ille

Ille Dei æterno modulatur carmine laudes,
Aptat & *Hebræa* plectra Latina *Lyræ*.
Eruit è tenebris idem tua gesta, ducesque,
Queis Latium, queis nil *Græcia* majus habet?
Tuque parens patriæ, nisi deliquisset in uno,
Quid de te vatem, non meruisse putas?
Imbuit ille animum studiis, & regibus olim
Invia Pieridum per juga rexit iter.
Finxit & os tenerum puero, quo pectora mulces,
Quosque regis populos non finis esse feros.
Os dedit, & dignos formavit principe mores,
Et docuit quæ vos sæpe latere solent.
Quid Rex privato, quid distet rege tyrannus,
Quid populus regi debeat, ille Deo.
Hoc duce tu fœlix ut Rex sis, sanguinis autor,
Ut reges inter maximus, ille dedit.
His tamen obtrectat meritis latrator Anubis,
Mixtaque vipereo felle venena vomit.
Est furor hic certus, sunt certi signa furoris:
Musa refer tanti quæ sit origo mali.
An quibus armatur flammas objecit Erinnys,
Et quod *Gorgoneis* sibilat angue caput?
An saniem eructans infecit membra veneno
Tartareas monstrum quod cubat ante fores?
Forsitan incautum rabie canis acta momordit,
Aut fera quæ molli stamine velat aquas.
Forsan equæ lentum quod stillat ab inguine virus,
Forsan Echidnæum causa furoris erat.
Aut curæ vigiles, aut dulcis copia Bacchi,
Aut qui corda ferus sæpe venenat amor.
Forte etiam tetigit mala gramina; forte viator
Aridus insano proluit ora lacu.
Vel gelidus duro concrevit frigore sanguis,
Vel miser æstivo sub cane fecit iter.
Distrahit in partes animum via cæca furoris,
Hæc tamen est vero proxima causa mali.
Forte canis rabidi Batavus puer ore petitus,
In rabiem, ut mos est, actus & ipse fuit.
Vidit *Eglisheimius*, Batavis tunc hospes in oris,
Et medica sævam depulit arte luem.

Fama

Fama volat: Medici ad limen fluit undique vulgus
Undique lymphati, turba timenda, ruunt.
Haud aliter circum glomerantur tecta volucres,
Non expectato cum ruit imbre Notus.
Pars fremit ante fores, pars intra limina, terror
Hinc atque hinc, horret tota furore domus.
Parva *Lycaonio* rumpuntur tecta tumultu,
Jurare Stygias hic habitare canes.
Quacunque ingreditur rabie gens effera semper
It comes, & medici claudit utrumque latus.
Hic ululat, latrant alii, fluit omnibus ater
Ore cruor, passim ferrea vincla sonant,
Hinc est prima mali labes, hinc prima furoris
Semina, contracta est transitione lues.
Sic lepra, sic diræ spargunt contagia pestes,
Et scabiem toti fert ovis una gregi.
Tange luem Veneris quæ turget nomine, tactus
Damna dabit, lippos aspice, lippus eris.
Sed morbi quid signa juvat, quid dicere causas,
Pæonia tolli si nequit arte malum?
Pro dolor! ista lues non est medicabilis herbis,
Ipsa suum quamvis conferat Ida nemus.
Cum subeunt, pelli possunt medicamine morbi:
Tollere nascentes quælibet herba potest.
Ast ubi facta mora est, sumunt à tempore vires
Nil tum dictamnus, nil panaceæ juvat.
Nec quamvis esset caput hoc sanabile succis,
Annueret medicæ Cynthius autor opis.
Quam patitur vates facta est injuria *Phœbo*,
Hic memor & forsan criminis ultor erit:
Non impune tulit vati quod fecit Atrides,
Et didicit longas Numinis esse manus.
Non tamen, hic quanquam spes est exclusa salutis,
Æger Apollineam spernere debet opem.
Quas miser expirat fugientes naufragus auras
Captat, & in medias brachia jactat aquis.
Tollere si tantos nescit medicina furores,
Ne possit virus crescere, forte dabit.
ERGO age *Eglisbemi* curam qui suscipis, omnem
Tolle moram, inducias nescit inire furor.

Quadrupedem

Quadrupedem primo conſtringens, vincula centum
Injice, captivi qualia ferre ſolent.
In facinus ruit omne furor, niſi compede frænes;
Non leo, non tigris plus feritatis habet.
Ipſa furens natum diſcerpſit *Penthea* mater;
Te patris obtrivit, parve Learche, furor.
Se quoque *Leucothoe* cum nato perdidit, *Ajax*
Ipſe ſuo demens ſanguine tinxit humum.
Nec vinclis preſſiſſe ſatis: nocet halitus oris,
Deterius nullum virus Echidna vomit.
Abde catenatum ſemoti carceris antro,
Lux ubi nulla micat, vox ubi nulla ſonat.
Ipſe Deus ſuperis Furias ſecrevit ab oris,
Merſaque ſub terras tecta, laremque dedit.
Expedit & tortis humeros & terga flagellis,
Et latera & geminas ſæpe ſecare nates.
Quod caput infeſtat virus dolor omne revellit,
Corrigit & mores, & fera corda domat.
Hic facit ut ſævæ miteſcant tigridis iræ
Et ſua crudelis fulmina ponat aper.
Protractum è tenebris interdum merge profundo,
Ut lavet inſanum ſæpius unda caput.
Conſpectum, nomenque horret lymphaticus undæ,
Hic tamen illius ſæpe levatur ope.
Ferro etiam cohibenda lues: incidere venas
Ne dubita, nec te pigra moretur hyems.
Hac ope, quo turgent membris expellere virus,
Aut oneris ſaltem parte levare potes.
Vulnere tergemino cubitus tundatur uterque,
Ut fluat ex omni viſcere tetra lues.
Sed quia ſumma petens mentis furor occupat arcem
Præ reliquis ferrum poſtulat iſte locus.
Quæ frontem dirimit mediam tibi vena ſecanda eſt,
Et quæ pone latens nomine puppis habet.
Quæque oculis ſimul exſpirant & naribus ignes,
Et cava quæ circum tempora utrinque micant,
Hæc quoque quæ linguam ſucco lolliginis atræ
Imbuit, auxilium non leve ſecta dabit.
Si quid adhuc mixtum terrena fæce ſuperſit,
Hoc procul è cerebro virus ad ima trahe.

Quæ latet in gemino tundatur poplite vena,
Quæque pedes imos, malleoloſque rigat.
Præ reliquis aperire juvat quæ ſponte tumentes
Virus ab extremo podice ſæpe vomunt.
Has reſera ferro, vel amaris illine ſuccis,
Et mordace cutem pumice ſæpe frica.
Aut ſi forte latent, exugat hirudo cruorem,
Aut aloes æger pocula plena bibat.
Quinetiam extremis quadrant extrema, furorem
Tollere ſi ferro non potes, igne doma.
Ure locum capiti cervix ubi jungitur, ure
Brachia, mox geminum crus & utrumque femur.
Sic grave ſepteno manabit flumine virus,
Et quod non poſſunt ſingula, multa dabunt.
Sunt hæc magna quidem; verum eſt præſentius iſtis
Auxilium, quoties mens agitata furit.
Sponte ſua nemorum ſiccis in collibus herba
Naſcitur, Aonijs non male nota jugis.
Huic folium platani, radix cæpæ æmula, caulis
Eſt ferulæ, cnici ſemina, floſque roſæ.
Hæc reliquas cum condit hyems, aquilonia ridens
Frigora, brumali ſub nive ſurgit humo.
Grata peregrinis eſt coturnicibus eſca;
Creditur & ventrem ſæpe ciere capris.
Repperit hanc primum, ſi vera eſt fama, *Melampus*,
Factus & eſt medicus, qui modo paſtor erat.
Hac ope cum furerent ſævæ Junonis ob iras
Prætides, hunc mentem reſtituiſſe ferunt.
Hæc animi inſtaurat vires, hæc fræna furori
Injicit, & toto corpore virus agit.
Helleborum Graiis, Veratrum eſt dicta Latinis,
Et ſua qui invenit nomina ferre dedit.
Quod nigra ſit radix, nigrum cognomine dicunt:
Cætera queis radix albicat, alba vocant.
Hinc ægro quærenda ſalus. Quibus undique veſtes
Helleboros, centum ſub juga coge boves.
Sylva *Caledoniæ* luſtranda & Grampius ingens;
Vix quot opus, plantas inſula tota dabit.
Omnia veſtiga loca, radiceſque potentes.
Et folia & flores, ſeminaque ipſa lege.

Cunc

Cuncta manu medica miscens, simul exprime succos
Quos bibat ægrotus, nec sine fæce bibat.
Huic cyathos seu tristis hyems, seu torreat æstas,
Tres veniente die, tres abeunte dabis,
His sine nec Cererem libet, nec quas dabis undas.
Et quascunque capit condiat inde dapes.
Auribus hos etiam instillet, vel manstet ore
Radicem, & fumos naris obæsa trahat,
Anglia quo fumat Peto non indiget æger,
Hellebori fumus quam magis aptus erit?
Hic dabit auriculis (si quas habet æger) inaures,
Hic quæ promeruit carmine serta dabit.
Et dabit armillas & longa monilia collo;
Ne tamen his sese strangulet ille cave.
Quod si cura comæ est, veratri pulvere crines
Spargat odor florum si juvat, inde petat.
Farciat hic capitis malesani tegmina pulvis,
Et vestem & si quæ stragula lectus habet.
Denique *Eglisheimium* circumque infraque supraque
Helleboros præter nil patiare meros.
Miscendum nisi forte illis Cereale papaver,
Quæque natat mediis alga palustris aquis.
Aut quæ Lethæo liventia poma veneno
Educat, & stirps est vertice, subtus homo.
Helleborusve alter, vel alyssum & ruta canina,
Et fabæ quæ porci fertur, & uva lupi.
Aut cerebri quodcunque potest restinguere flammas,
Quicquid & in somnum lumina fessa trahit,
Sed si forte caput non est sanabile succis,
Quos creat Arctoo terra sub axe jacens.
Quod juvet, externis æger sibi quærat in oris,
Luce quibus Titan dat meliore frui.
Hinc procul, Herculeo perquam vicina sepulchro
Objacet Euboicis insula parva jugis:
Insula parva quidem, sed fæta potentibus herbis:
Sponte sua fœlix omnia fundit humus.
Hic ver assiduum; non urunt frigora terras,
Nec canis Icarii rusticus ora timet.
Mens vegeta indigenis, hilaris frons, corpora sana,
Nulla lues illis, nulla venena nocent.

Non canis hos rabidus, non lædit aranea morsu,
Vipera nec sese quo tueatur habet.
Anticyram dixere olim; ditissima tellus
Helleboro; has solas insula jactat opes.
Huic noster facie est similis, sed viribus impar;
Virus abest, nostro quod solet esse comes,
Non senibus, non ille nocet puerilibus annis,
Nec canis hunc, gemino cum furit igne, vetat.
Cætera si vincit rabies, has æger in oras
Naviget: est ipso fonte levanda sitis.
Quæ nullo expelli potuit medicamine, Druso
Herculeam tellus depulit ista luem.
Hic quoque qui magni Zenonis scripta refellit,
Helleborum prudens non semel ante bibit.
Atque utinam his æger purgasset pectora succis,
Ante Deo sacrum quàm violasset opus.
Liquisset mentem furor, aut moderatior esset.
Hei mihi nunc seram terre paramus opem.
Impia crescendo cœpit dementia vires,
Vix tribus Anticyris cederet iste furor.
Ne tamen hic animum desponde: vota supersunt:
Quæ dare non possunt cætera, posce Deos.
Est locus Ardenna in media, secretus ab omni
Voce, nisi si quæ murmura fundat avis.
Desuper horrendus nigra formidine lucus
Imminet, & totum surripit umbra diem,
In medio veteri circundatur area muro;
Hic stat in exigua ligneus æde Deus,
Huberti cognomen habet. Non parva potestas
Numinis, hic quanquam marmora nulla vides.
Res hominum varias sustentans Jupiter olim
Ingemuit dorso cum grave sensit onus.
Tum primum reliquis ad sese in tecta vocatis
Partem oneris fertur distribuisse Diis.
Cunctis dat quod agant: Latio hic favet, alter Iberis;
Tutelare Getes numen, & Indus habet.
Sunt quibus artificum curæ est genus omne; patronum
Fur habet & leno sacrilegusque suum.
Abluit hic strumas, alter collyria lippis
Illinit, hic dentes eruit, ille polit.

Et canis & vulpes & habet sua numina porcus;
Sunque quibus curæ musca, cicada, pulex.
Singula quis numeret? Nemo indotatus abivit,
Munera restabant distribuenda duo.
Nemo qui viduas thalamis prohibere secundis,
Nemo qui rabiem pellere posset, erat.
Hæc dum detrectant omnes. Hubertus ad illo
Vectus adest, huic mox optio facta seni est.
Eligo posterius, labor hic minus improbus, inquit
Utiliorque aliis, utiliorque mihi.
Ex illo Huberti passim increbrescere nomen,
Dignaque cœperunt surgere templa Deo.
Hic patria, hic sedes, hic magni numinis ara
Inter humanos conspicienda lupos.
Undique dona ferens secum genus omne furentum,
Hoc ruit, & multa cum prece poscit opem.
Non tamen extemplo linquit furor, ante sacerdos
Ter caput irrorans crimina lustrat aquis.
Ter niveam indutus vestem procumbit ad aram,
Raucaque ter mussans murmura farre litat.
Tunc ante ora Dei vinclis circundatus æger
Sternitur, & supplex oscula figit humo.
Hic fovea est vicina Deo, caput abdit in illam,
Pars latet anterior, posteriora patent.
Hæc secat antistes virgis, & verbere denso:
Tota venenato terra cruore madet.
Hinc ubi protractus supplex advolvitur aræ,
Terque Deum inclamat, ter tremit ara sono.
Inde crucem fronti ferro candente sacerdos
Imprimit, & pura findone stigma tegit.
Hæc stola sacra Dei est, nullo violabilis ævo,
Secta licet toties, quæ fuit ante manet.
Interea tolerare, miser jejunia venter
Cogitur, herba famam pellit & unda sitim.
Hæc ubi sustinuit rabidus, mirabile dictu,
Mens & judicium, quod fuit ante, redit.
Hæc *Eglisbemio* quamvis via longa terenda est,
Hoc sanare caput Numina sola queunt.

VIRTUS NOS ORNAT.

GUIL: BARCLAYI

AMOENIORUM ARTIUM ET MEDICINÆ DOCT: JUDICIUM,

DE

Certamine Poëtico G. EGLISEMMII cum G. BUCHANANO, pro dignitate *Paraphraseos Psalmi CIIII.*

VATABLUS.

BEnedic anima mea Jehovæ: Jehova Deus mi, magnificatus es vehementer, gloriam & honorem indutus es.

BUCHANANUS.

Te rerum Deus alme canam Dominumque Patremque,
Magne Parens, sancta quàm Majestate verendus,
Ætheris æternæ rector moliris habenas.
Te decor, auratis ambit te gloria pennis.

Poëtarum nostri seculi longè princeps, elegantissimus *Buchananus*, cùm superasset æquales suos omnes, & plurimos majorum, cæteris poëmatis, hoc tandem poëmate superavit seipsum. Cos ingeniorum, Poëtarum lima, *Julius Scaliger* sic judicavit, & judicium limatissimo Epigrammate pronunciavit:

Fœlix

Fœlix Georgi, lactea venæ pater,
Quæ ditat immensum mare.
Quid barbarorum voce squallentem absona,
metisque nugis obsitum,
Inepturientem non ferendis artibus
audire memet postulas?
Plectrumnè Phœbo temperante, Marsyas
tentabit ictum Pollicis?
Amabiles Thalia si sonat modos,
garrire Pica gestiet?
Te natum ad alta Pegasi cacumina:
tepente susceptum sinu
Regina sacri magna Calliope soni
liquore non noto imbuit:
Deditque Palmam ferre de tot gentibus,
Latina quot colit cohors.
Puris beata voce tessellis nitor
perstringit aures candidas,
Flexuque ducta vena dulcis aureo
quam sustulit, iterat sitim.
O me superbum mole sublatum nova,
Te litterarotum Deo
Desideratum abesse se, ut scribis doles,
quod aliquid esse me putes.
Tute ipsum contemplator, in quo cuncta sunt,
& vota lenies tua.

Vulgò cantatum breve Carmen *Caroli Utenhovii*, sed acutum, sed acceptum, tollit omnem spem æquandi gloriam *Buchanani*:

Tres Italos Galli senos vicere, sed unum
Vincere Scotigenam non potuere novem.

Tres Galli, *Michael Hospitalis*, *Adrianus Turnebus*, *Joannes Auratus*. At qui viri? Soles sui soli. Sex Itali, *A. Sannazarius*, *H. Fracastorius*, *A. Flamminius*, *H. Vidas*, *A. Naugerius*, *P. Bembus*. Quæ lumina? Lunæ sui cœli. Horum nomina potuissent deterrere vulgare ingenium.

Ad rem. Hæc paraphrasis, non Latina solùm, non solùm concinna, & cincinnis plena Poëtarum, sed tam divina, tam theologica, tam curiosè copiosa est, ut pauci Commentatorum clariùs aperuerint mentem Prophetæ. Examinemus singula.

Benedic

Benedic anima mea Jehovæ. Animat, ut ita dicam, animam ſuam Propheta ad benedicendum, mox excitata alacritate animæ prorumpit in hæc verba, *Jehova Deus mi, magnificatus es vehementer.* Quid? Poteſtne major fieri Deus? Minimè gentium; ſed apud homines tanto major ſit, quanto notior ex operibus. Hæc omnia fuſè faciléque exprimit Poëta,

Te rerum Deus alme canam Dominumque Patremque

Quoniam ineffabile nomen quatuor literarum, quo utitur Propheta, exprimi non poteſt ulla aut cogitatione, aut voce: ſapientiſſimus Poëta quatuor ponit epitheta, *Deum, almum, Dominum, Patrem.* Pergit:

Magne Parens, ſancta quàm Majeſtate verendus.

Majeſtas enim à magno dicitur: & qui tam magnus eſt, ut dici nequeat, certè verendus eſt ob majeſtatem, & confeſſione ignorantiæ cognoſcendus. Ob quam fortaſſe cauſam, Græca tranſlatio ἐξομολόγησιν, id eſt, confeſſionem ſubjungit.

Ætheris æternas rector moliris habenas.

Huic verſui in Textu quod reſpondeat, non eſt quidquam apertè poſitum. Sed ut nomen *Jehovæ* toties repetitum in hoc Pſalmo, ſemel deſcriberet multis notis; tandem vocat hîc *rectorem*: aut certè hoc verſu illuſtrat ea verba, *magnificatus es vehementer:* quoniam major ſit Deus tantùm in cognitione noſtra, quam cognitionem cœlum intuentes omnes homines capiunt.

Gloriam & decorem indutus es.

Te decor, auratis ambit te gloria pennis.

Hîc Poëta ut graviorem heroicum verſum faceret, tranſlationem Prophetæ & non videtur retinere, & retinet. Non videtur, quia Deum circumdat gloriæ *pennis*, non *veſtibus.* Retinet tamen, quoniam verbum *induendi*, ſi amplè ſumatur, non excludit etiam pennas. Jam videamus quàm appoſitè:

——— *Auratis ambit te gloria pennis.*

Gloria, ſi credimus Ciceroni, *eſt frequens de aliquo fama cum laude.* Et alibi, *Eſt illuſtris & pervulgata multorum & magnorum, in omne genus hominum, fama meritorum.* Ergo, Famæ pars quædam gloria eſt. At famæ quis neſcit eſſe pennas? Supereſt unica ratio illuſtrandi carmen divini hujus Poëtæ: ſi ſubnectamus verſus *Egliſemmii*, ut tanquam Æthiopes jubeant noſtrates Europæos apparere candidiores.

EGLISEMMIUS

EGLISEMMIUS.

Mens age, depoſita curarum nube, canoras
Pange Deo laudes, ——— ———

Mens age. Quantum hoc principium ab illa majeſtate?

Te rerum Deus alme canam. ———

Conſulſat qui volet aures, maluiſſem ego,

Eia age, depoſita curarum nube. ———

Quid hîc *curæ*? quid *nubes*? Propheta non ſuggeſſit, Poëta non præivit. Malum omen curarum mentio in ipſo limine lætitiæ.

—O inviolabile numen,
Imperio penetrans magni ſacraria mundi.

Inviolabile, Nec huic rei, nec huic loco convenit. Non rei: quia & ſpiritus & cœli inviolabiles. Non loco: quia toto Pſalmo canitur gloria Dei ex operibus, quæ amorem excitent, non timorem incutiant, non vim, non vulnera, non violentiam loquantur. Scio *Sinonem* dixiſſe,

—Et non violabile veſtrum Teſtor numen.—

Imperio penetrans magni. ———

Hunc verſum Propheta ſi viveret expungeret: & exiſtimo auctorem ipſum brevi inducturum, memorem nihil tale in textu proſaico inveniri.

VATABLUS.

Qui operit ſe lumine, tanquam veſtimento: qui extendit cœlum tanquam Cortinam.

BUCHANANUS.

Et circumfuſum veſtit pro tegmine lumen.
Tu tibi pro velo nitidi tentoria cœli.

Noto quàm eleganter, *veſtiat* orationem, *luminibus* eloquentiæ: quàm propriè, *Circumfundat lumen*: quàm doctè appellet *tentoria cæli*, alludens ad vulgatam editionem, ubi legitur, *Extendens cœlum ſicut pellem*, quia antiquitùs tentoria ex pellibus fiebant.

EGLISEMMIUS.

Te niveæ cinctum radianti lucis amictu
Splendor, & aurato velaminе gloria vestit.
Tendis ut aulæum rutili flammantia cœli
Culmina. ———

Si quis è discipulis meis fudisset hæc talia, certè quidem non abisset impunitus. Nam *Splendor vestit te cinctum radianti amictu niveæ lucis*: nonne idem est, ac si dicas, *Splendor vestit te vestitum Splendore Splendoris*?

Interpretemur candidè per Synonima; *Splendor vestit te cinctum*, id est, *vestitum: radianti amictu*, id est, *Splendore niveæ lucis*, id est, *Splendoris*. Pergamus.

Tendis ut aulæum rutili flammantia cœli
Culmina. ———

Nego equidem doctè dici, *Culmina cœli:* credimusne cœlum.

Pauperis & tuguri congestum cespite culmen?

Atqui si *culmen* à culmo est, ut asserunt Grammatici, non sine periculo legimus *flammantia culmina*, nisi fortasse mutatum accepit hoc nomen ab illa parte Astrologiæ, quæ judiciaria vocatur, cujus Professores Senatus consulto saxo dejiciuntur, *Genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax.*

VATABLUS.

Qui contignat aquis superiora sua, qui ponit nubes currum suum, qui ambulat super alas venti.

BUCHANANUS.

Et liquidas curvo suspendis fornice lymphas,
Et levibus ventorum alis per inania vectus,
Frænas ceu celeres volitantia nubila currus:

Dele voculam, corrumpes sententiam: adde voculam, sententiam corrumpes. Loquitur Poëta noster mentem Prophetæ, non circumloquitur. Examina singulatim: *suspendit*; nihil potest latinius dici: *Lymphas*, ut miraculum appareat, *Liquidas*; *curvo fornice*, Quid potest narrari ornatius? Quid paucioribus clarius?

EGLISEMMIUS.

EGLISEMMIUS.

——— *Mobilibus cœnacula ponis in undis,*
Temones, denſiſqué rotas è nubibus aptans.
Ventorum alato peragras ſublimia curru.

Undæ ſignificant aquas aliquando: ſed præter *Lucretium* nemo homo eſt, qui pluvias aquas vocet *undas*: & ille quidem *aërias undas*, vocat nubes potiùs quàm pluvias. Quæro ex te, an aptans temones peragret ſublimia? quod otium aptandi paulò antè defuerit; cùm ſolum eum, aut otioſum meritiſſimè nos chriſtiani negemus.

VATABLUS.

Qui facit Angelos ſuos Spiritus, miniſtros ſuos ignem flammantem.

Quoniam hic verſus negotium faceſſit Theologis, exprimit Poëta ſenſum veterum Hebræorum, quem hauſerunt à *R. Salamone*. Reliquit controverſiam intactam, quam & verè & eleganter diremit *Theodoretus*.

BUCHANANUS.

Apparent accinctæ auræ, flammæque miniſtræ,
Ut juſſa accipiant. ———

Non potuiſſet ipſum Latium latiniùs loqui. Ponderemus verba. *Apparent*, Quàm propriè? Apparitorum enim eſt adeſſe officii cauſa. *Accinctæ*, hæc vox auget proprietatem præcedentis, quàm oppidò paratæ ſunt, quæ non ſolum *apparent*, ſed *accinctæ* apparent.

EGLISEMMIUS.

Servitum properat flamma comitante voraci
Spirituum pennata cohors. ———

Bone Deus: quid hæ tenebræ cum illo lumine? non ſic loquebantur Romani. Non neſcio *Virgilium* ceciniſſe,

——— *Aut Graiis ſervitum matribus ibo.*

Non facilè tamen invenies *ſervitum properare*, Romani, Properare Romam, Properare in urbem, Properare ire, ſcribere,

bere, non itum, ſcriptum: nullum probum autorem habet hæc formula loquendi.

VATABLUS.

Fundavit terram ſuper baſes ſuas, ne moveat ſe in ſeculum & in ſeculum.

Deſcendit jam Poëta ab aëre in terram: in qua paulò diutius moratur, tanquam in ſede hominibus, & notâ diu, & habitatâ.

BUCHANANUS.

——— *Stat nullo mobilis ævo*
Terra ſuper ſolidæ nitens fundamina molis,
Pollenti ſtabilita manu.

Proſa oratio, *Ne moveat ſe in ſeculum & in ſeculum.* Verſu, *Stat nullo mobilis ævo terra.* Si Propheta fuiſſet Latinè loquutus, uſus fuiſſet his verbis aut ſimilibus; *Fundavit terram ſuper baſes ſuas.* Duæ cauſæ ſunt propter quas terra tota non movetur: altera à centro petitur, in quo graviora cuncta conquieſcunt: altera à juſſu Dei, cujus juſſa non capeſcere, planè contra naturæ jus eſt. Utramque cauſam eruditiſſimus paraphraſtes complectitur:

——— *Super ſolidæ nitens fundamina molis,*
Pollenti ſtabilita manu. ———

EGLISEMMIUS.

——— *Ne ſedibus unquam*
Pulſa datis abeat tellus compage ſoluta,
Libratur gravitate ſui. ———

Ovidius in eadem materia iiſdem penè verbis aliter proferebat,

Nec circumfuſo pendebat in aëre tellus,
Ponderibus librata ſuis. Non *ſui.*

Si quis ita loqueretur ex iis qui nondum ære lavantur ad Cœmeterium divi *Pauli*, haud dubiè non effugeret ferulam.

VATABLUS.

VATABLUS.

Voragine tanquam veſtimento operueras eam, ſuper montes ſteterant aquæ.

Familiare fuit Prophetæ, aquam, nivem, veſtibus, lanæ comparare. Alibi, *Qui dat nivem ſicut lanam.*

BUCHANANUS.

——— *Terra obruta quondam*
Fluctibus, ut fuſo ſuper ardua culmina velo.

EGLISEMMIUS.

——— *Ceu veſte fluenti*
Alta ſuperfuſo velante cacumina ponto,
Delituit quondam. ———

Hîc deſidero gluten, quo hæc adhæreant ſuperioribus. *Buchananus* repetita voce *terra*, eleganti figura, reddidit orationem plenam. Hic, omiſſa particula *quæ* aut *hæc*, aut alia ſimili, reliquit in oratione abyſſum, qualem deſcribit. Præterea vox *velante*, meo animo, ſuperflua eſt.

VATABLUS.

Et tamen ab increpatione tuâ fugerunt, à ſonitu tonitrui tui feſtinaverunt.

BUCHANANUS.

Sed ſimul increpuit tua vox, tonitrùque tremendo
Inſonuere aurâ. ———

Nonnè auditur quoddam artificioſum tonitru in iſtis verſibus, quo Poëta ipſam quodammodo videtur adæquare naturam? Audiamus jam *Egliſemmium.*

EGLISEMMIUS.

——— *Tua vox ubi ſacra profundum*
Increpuit, tonitrùque poli ſonuere fragoſa
Murmura, præcipites fugiunt in cœrula fluctus.

Audiuntur in verbis *Buchanani* quaſi nubes ipſæ diſſilientes: In iſtis, ——— *Vox*
Auditur fractos ſonitus imitata tubarum.

Certè

Certè bene cœpit currere, ſed præ copia claudicavit. *Virgilio*, deo poëtarum fatis fuit *Intonuere poli*. Huic,

——— *Tonitruque poli ſonuere fragoſa*
Murmura. ——— ———

Cur non vereris

——— *Crudeles dantem Salmonea pœnas?*
Dum flammas Jovis & ſonitus imitaris olympi.

VATABLUS.

Tunc aſcenderunt montes, deſcenderunt valles ad locum ſuum, quem fundaſti iis.

BUCHANANUS.

——— *Paulatim aſcendere montes*
Cernere erat, ſenſimque cavas ſubſidere valles,
Inque cavas valles trepidas decurrere lymphas.

Omni melle dulcior oratio, Indicæ ſucco cannæ ſuavior. Neſcio an Romana lingua meliores unquam verſus viderit. Sed obviàm ſit difficultas, quam ſcilicet portionem Pſalmi exprimant hæc verba:

Inque cavas valles trepidas decurrere lymphas.

Id difficultatis paucis ſic infringo. Doctiſſimus Poëta ſequutus *Franciſci Vatabli* Pſalmorum interpretationem, quem Pariſiis Hebraicæ linguæ profeſſorem habuit ſummè amicum & familiarem. Itaque conſulebat curioſè fontes ipſos, & linguam, qua Pſalmos cecinit regius Propheta. Unde deducit aliquando plus ſententiæ quàm appareat in vulgatis editionibus. *Tremellius* hunc verſum intelligit de aquis ipſis cùm ait: *Conſcenderunt per montes, deſcenderunt per valles in locum quem fundaſti ipſis.* Et non malus interpres: *Aſcenderunt*, inquit, *montes aquarum, & deſcenderunt campi aquarum, dum ab increpatione timentes aquæ, magno fremitu, attollunt fluctus ſuos, & deponunt, donec ad locum ſibi paratum perveniant.* Nam & Poëta dixit,

——— *Quanti montes volvuntur aquarum.*

EGLISEMMIUS.

Conſpicui nudata levant faſtigia montes
Subſidente cavis humili cum vallibus agro,

Labitur

Labitur ad priſcos aqua per declivia fines.

Primus hic verſus poteſt eſſe cujuſlibet Poëtæ: ſi decem fila talia intertinxiſſent totum hoc aulæum, fuiſſet planè dignum Aula. Subſidit tota elegantia ſecundo verſu, nugationeque & tautologia corrumpitur,

Subſidente cavis humili cum vallibus agro.

VATABLUS.

Terminum poſuiſti iis quem non pertranſibunt: non revertentur ad operiendum terram.

Hîc tria quærenda ſunt: Quis fixit terminos maris? *Deus. Job. cap. 38. verſ. 10. Circumdedi illud terminis meis, & poſui vectem & oſtia, & dixi; Uſque huc venies, & non procedes amplius, & hîc confringes tumentes fluctus tuos.* At qui ſunt termini? Arena: *Hier. 5. ver. 22. Qui poſui arenam terminum mari, præceptum ſempiternum quod non præteribit.* Si præceptum eſt ſempiternum, cur redierunt aquæ in diluvio? Redierunt juſſu Dei: hoc autem non eſt violare præceptum, obedire præcipienti.

BUCHANANUS.

Néve iterum immiſſa tellus ſtagnaret ab unda,
Limitibus compreſſa ſuis reſonantia plangit
Littora, præſcriptas metuens tranſcendere metas.

Hæc vel *Virgilio* digniſſima carmina, videamus quo artificio imitatur

EGLISEMMIUS.

In varios collecta ſinus, tranſvolvier illinc
Neſcia, plangendo reſonantia ſaxa laceſſit,
Ne liquido rurſum latitet ſub marmore tellus.

Hæc diſcipuli ſunt, illa præceptoris: hæc pueri, illa viri. Quid aio? Hæc verificatoris, illa poëtæ, & poëtæ quidem principis. Jam quid ad mentem Prophetæ?

In varios collecta ſinus. ———

Plus continet quàm Propheta dicit.

——— *tranſvolvier illinc.*

Inaudita phraſis, quæ quodammodo implicat, ut dicam dialecticè, contradictionem: nam *trans* includit tranſitionem hinc

hinc illuc, ut *Trans mare currit.* Itaque *transvolvier illi* nullo sensu dicetur. At dubito an Latini usi fuerint vo *transvolvier.*

VATABLUS.

Qui emittit fontes in convallibus, inter montes ambula

BUCHANANUS.

Tum liquidi fontes imis de collibus augent
Flumina, per virides undas volventia campos.

Hi versus reddunt me memorem *Maronis*, ponuntque an oculos locum illum sæpe mihi cantatum,

Non scopuli rupesque cavæ, atque obiecta retardant
Flumina correptos undâ torquentia montes.

EGLISEMMIUS.

Fontibus è nitidis valles argenteus implet
Per tumidos rivus flectens vestigia colles.

Quàm hîc turbidos fontes emisisti, qui valles totas inun dent & impleant, hi faciunt, ut ne sint rivi argentei (u vis) sed cœnosi. Si intuereris tua carmina meis oculis, su bitò exclamares,

Eheu quid volui misero mihi? floribus austrum
Perditus, & liquidis immisi fontibus apros.

VATABLUS.

Potum dat omnibus bestiis agrestibus, frangunt onagr sitim suam.

BUCHANANUS.

Unde sitim sedent pecudes, quæ pinguia tondent
Pascua, quique feris onager saxa invia sylvis
Incolit. ——— ———

Epitheta, natura ipsa dictavit. *Pinguia pascua:* à patre po ëtarum accepit. *Tondent, feris sylvis, saxa invia:* his adjun dis naturam onagri planè exponit, quam Propheta tacit tantùm ponit.

EGLISEMMIUS

EGLISEMMIUS.

Libabit latices campis quæcunque vagatur
Bellua, qui ſylvis onager ſe triſtibus abdit,
Eximat ille ſitim. ——————

In primis, nulla particula nectit hanc orationem ſuperiori. Quàm egregiè *Buchananus*, *Unde ſitim ſedent.* Tum quod addit de onagro, à *Buchanano* ſurripuit. Nam in ſacro contextu non dicitur onager ſylvas incolere, aut ſylvis ſe abdere.

VATABLUS.

Juxta eos fontes volucres cœli habitant, inter frondes dant vocem.

BUCHANANUS.

——— *Hîc, levibus quæ tranant aëra pennis,*
Per virides paſſim ramos ſua tecta volucres
Concelebrant, mulcentque vagis loca ſola querelis.

Concelebrare tecta, didicit à Lucretio: ego planè ſuſpicio quot voces, tot margarita.

EGLISEMMIUS.

——— *Volucris quæcunque ſtrepenti*
Verbere pennarum vacuas nitetur in auras,
Hoſpitio frondente toros ſtructura loquaces,
Mulceat hîc vocum tremulo diſcrimina cantu.

Fruſtra hîc moneam cæmentum deeſſe, quod apud hunc nuſquam eſt. Sed operæ pretium eſt advertere animum quanto hîc verborum apparatu aviculam in ſublime levet, & id quidem ut nidum faciat: hoc enim volunt verba, *ſtructura toros loquaces.* Expectabam hic alaudam enitentem alarum remigio in nubes, ut canora voce aures mortalium oblectaret: ſed fruſtra fui, nam omnis hic volandi conatus inſtituitur ad ſtructuram nidi, quod eo etiam eſt abſurdius, quia multi aves humi nidificant, ut ad eam rem haud opus ſit volatu. Longè deterius eſt, quod de omnium avium cantu ſubjicit, nam naturâ dictante intelligere debuit plures eſſe aves non cantatrices. Addo particulam *quæcunque* totam orationem falſitate vitiare, certè periculo plena eſt paraphraſis, quæ Spiritus ſancti oracula falſa facit.

VATABLUS.

Qui irrigat montes de superioribus suis, de fructu operum tuorum satiabitur terra.

Propheta hoc versu addit aliam, & admirabilem providentiam, & videtur mihi, hoc loco, ipsum carmen cum materia surgere. Præter enim flumina & fontes, quibus non possunt irrigari montes & altiora loca, Deus pluit ex nubibus veluti ex cœlestibus quibusdam fontibus, ut nulla pars terræ non sentiat opem, & tempestivè irrigetur. Sed audiamus quàm inimitabiliter hæc canat Calidonius noster olor.

BUCHANANUS:

Tu pater aërios montes, campoſque jacentes
Nectare cœlesti ſaturas, fœcundaque rerum
Semina, vitales in luminis elicis oras.

Narrant Oppianum poëtam Græcum pro singulis versibus singulos aureos ab Imperatore accepisse. Certè hæc tria Buchanani carmina plus habent eloquentiæ, plus materiæ, plus sapientiæ, plus arcanæ theologiæ, quàm multa carmina Græcorum poëtarum (sed quid præmii mereantur, decernere non magis meum est, quàm dare.) Examina si placet. *Aërios montes*, quid dici potest altius? *Campoſque jacentes*, quid addi potuit spatiosius? *Nectare cœlesti ſaturas*, Hæc sapiunt Nectar & Ambrosiam. *Fœcundaque rerum ſemina*: quàm facundè? *Vitales in luminis elicis oras*: Quàm diu hic Sol lucebit, tam diu hæc verba vivent, & volitabunt viva per ora virûm.

EGLISEMMIUS.

Ambroſio montes irrorant aſtra liquore,
Muneribus ſatiata tuis, pecoriquè viriſquè
Aptas obſequiis, alimentis dulcibus aptas,
Promit humus teneris gemmantes floribus herbas.

Conatus est primo versu imitari Nectar illud *Buchanani*, sed satis est intueamur propiùs. *Nectar*, potus deorum fuit; *Ambrosia*, cibus. Non ergo tam propriè irrigantur montes Ambrosiâ quàm Nectare. Ad hæc non existimo *aſtra* irrorare montes: nam etsi cœlum capiatur pro aëre, astra non item capiuntur. Si *humus* quod verbum longe sequitur, jungatur cum *ſatiata* nihil legi potest obscurius. At *Pecori viriſq; aptas obſequiis.*

obſequiis. Quo auctore didiciſti ſic Latinè loqui contra leges Grammaticorum? *Aptas obſequiis viris*, virorum dicendum erat. Debes Priſciano pœnas: quantò dixiſſes emendatius, *petorumqué virumqué aptus obſequiis.*

VATABLUS.

Qui germinare facit fœnum pro jumentis, & herbam ad uſum hominum, & educit panem de terra.

BUCHANANUS.

Unde pecus carpat viridis nova pabula fœni:
Unde olus humanos geniale aſſurgat in uſus:
Quæque novent feſſas cerealia munera vires.

Si præter hos verſus nihil unquam *Buchanani* vidiſſem, aſſererem certè hæc eſſe & ſummo judicio viri, & maximo ingenio Poëtæ carmen. Quàm *Apolline* digna ſunt, *Viridis nova pabula fœni?* quàm eleganter, *olus* pro *herba?* & apponit ex interiori Philoſophia, *geniale.* Tùm pro *pane*, *cerealia munera*: tam heroicè ut nihil ſuprà. Uno verbo, quæ vocula ſine ponderè?

EGLISEMMIUS.

Promit humus teneris gemmantes floribus herbas.

Propheta hoc verſu dicit tria, *Egliſemmius* unum. Propheta ponit fœnum, herbam, & panem: fœnum jumentis, panem hominibus, & nè deeſſet obſonium, herbam. *Egliſemmius* exiſtimans panem & fœnum abundare, exprimit ſolùm herbas. Ne utar pluribus, certè manca eſt hoc loco Paraphraſis. Sed quid ad fœnum? quid ad herbas cibarias hæ gemmæ? hi flores? Nam herbæ ſæpenumerò pulcherrimorum florum non eduntur.

VATABLUS.

Et vinum quod lætificat cor hominis, ut faciem nitere faciat præ oleo, & panem qui cor hominis fulcit.

BUCHANANUS.

Quæque hilarant mentes jucundi pocula vini,
Quique hilarat vultum, ſuccus viridantis olivi.

Longè conſultiùs hic omittitur fine culpa iterata mentio *panis*, quàm in ſuperiori verſu, quoniam facile eſt eundem verſum repetere, nec indecorum fuiſſet eundem repetere. Sed quid de hoc ſentiam, alibi.

EGLISEMMIUS.

Pampineos animis nectentes gaudia ſuccos,
Et baccas oleæ fragrantis ut ora ſerenent,
Et cererem valido firmantem corda vigore.

Primo verſu ſermo non exprimit ſenſum Prophetæ, & ipſa ſententia non promit vinum. Probo. *Pampinei ſucci nectunt gaudia animis*, non ſignificant *lætificare cor*. Deinde, *Pampinei ſucci* non ſunt *vinum*: aut ſi pro vino capiantur, dura loquutio eſt, & plurium figurarum.

VATABLUS.

Saturantur arbores excelſæ, cedri Libanon quas plantavit,

BUCHANANUS.

Nec minus arboribus ſucci genitabilis humor
Sufficitur, cedro Libanon frondente coronas
Aliuibus nidos. ——

EGLISEMMIUS.

Arboreos fœtus, tineis impervia cedri
Robora tu ſaturas, Libani quæ conſita celſo
Vertice, progeniem volucrum nidoſque tuentur.

Agnoſco numeros, & verba, & ut ſic dicam, flamen Virgilii, *Arboreos fœtus*: cæterum agnoſco ſubtegmen Textoris, qui confecit centonem in uſum incipientium puerorum, ex veterum, & ſuis epithetis, quaſi verſicoloribus quibuſdam filis; hinc ſubſecuit *Egliſemmius*, *Tineis impervia cedri*. Cedrus enim (inquit puerorum Pædonomus Textor) lignum habet jucundi odoris, & tineis impervium. Ad hæc quis unquam legit *robora cedri*? Eodem jure dicam fagos *cedri*, platanos *cedri*, fraxinos *cedri*: quæ loquutiones digniſſimæ ſunt *robore & rubore*

VATABLUS.

VATABLUS.

Ut ibi aves nidificent, Ciconiæ abietes ſunt domus.

BUCHANANUS.

——— *Abies tibi conſita ſurgit,*
Nutrit ubi implumes peregrina Ciconia fœtus.

EGLISEMMIUS.

Nec minùs eſt fœlix abies, hâc vimine texta
Pendula caſtra novat clangente Ciconia roſtro.

Cum quâ confertur arbore, felicitate, abies? *Ut non minùs ſit fœlix*: Quæ tandem eſt hæc felicitas? An quòd ſaturatur rore cœleſti? an quòd ibi aves nidificent? At certè arborum felicitas hæc nulla eſt, eſt potius *avium*. Deindè, quis docuit *Ciconiam caſtra ſua vimine texere?*

VATABLUS.

Montes excelſi ibicibus, petræ hoſpitium leporibus.

BUCHANANUS.

Tu timidis montes damis, cava ſaxa dediſti
Tutus ut abſtruſis habitaret echinus in antris.

EGLISEMMIUS.

At lepori ſilices, pavidis juga ſenta receſſum
Concilias damis. ———

E tot ſententiis interpretum, elegit *Buchananus* honeſtiſſima nomina, ut res videretur ab ipſa natura depingi, ſic *timidi damæ* amant montes, *echini* antra. Certè non diſputabo cum linguæ Hebraicæ peritis: ſed maximè fugerem ſententiam interpretum, qui ſtruunt lepores. Ratio. Timidum animal lepus eſt, & ideo dicitur dormire apertis oculis, totamque vitæ ſpem in pedibus & fuga ponere; hinc *lepus* quaſi *levipes*. Jam ſaxa, ſilices, & montes retardant lepores fugientes. Itaque aperta æquora & campos amant lepores.

VATABLUS.

Fecit Lunam in tempora, Sol novit occaſum ſuum.

BUCHANANUS.

BUCHANANUS.

Tu Lunæ incertos vultus per tempora certa
Circumagis, puroqué accensum lumine Solem
Ducis ad occiduas constanti tramite metas.

Ipse hypercriticus ille Cæsaris, nihil carperet in istis versibus, Ubi *Luna* tot figuris, & *Sol* tam *puro lumine* illustrat orationem.

EGLISEMMIUS.

——— *Constanti temporis ortu*
Inconstans lunare decus renovare figuras,
Occiduoqué jubes pelago decumbere Solem.

Nescio quo merito, Luna visa est favere his versibus, eosque spongiæ subtrahere. Imitatio est *Buchanani*: ille *incertos, certa*: hic *constanti, inconstans.*

VATABLUS.

Ponis tenebras & est nox: in ipsa reptat omnis bestia sylvestris.

BUCHANANUS.

Inde superfusis cuncta involventibus umbris,
Per tacitas spargis nocturna silentia terras.
Tum fera prorepit latebris. ———

Prorepit exprimit Hebraicæ dictionis vim: hi versus obscuram noctem clarè depingunt.

EGLISEMMIUS.

Tecta soporiferos picea caligine vultus
Nubila diffundis tacitam ducentia noctem,
Proruit interea speluncis acre ferarum
Agmen. ———

Ut melius exprimeret noctem, versus fecit plenos tenebrarum. *Diffundis nubila ducentia tacitam noctem.* Minime gentium: *nubila* non *ducunt noctem.* Nam sudo, & sereno cœlo, & non nubilo fit aliquando nox. Atque sæpenumero interdiu nubila. Alter totus versus est superfluus, & Ovidii ad verbum, 1. Met.

——— *Madidis notus evolat alis*
Terribilem piceâ tectus caligine vultum.

VATABLUS.

VATABLUS.

Leunculi rugiunt ad prædam, & ad quærendum à Deo escam suam.

BUCHANANUS.

——— *Sylvisque relictis,*
Prædator vacuis errare leunculus arvis
Audet, & è cœlo mugitu pabula rauco
Te Patrem exposcit. ———

EGLISEMMMIUS.

——— *Et auxilium cœleste leunculus escam*
In prædam exorans, rugitibus æthera pulsat.

Sanè non poscunt feræ *escam in prædam*, sed *prædam in escam.*

VATABLUS.

Oritur sol, congregant se; & in habitaculis suis accubant.

BUCHANANUS.

——— *Dein rursus, sole renato,*
Abditur occultis prædatrix turba cavernis.

EGLISEMMIUS.

Sole recens orto latebrosis invia dumis
Antra subit.

VATABLUS.

Tunc egreditur homo ad opus suum, & ad culturam suam, usque ad vesperam.

BUCHANANUS.

Inqué vicem subeunt hominumque boumque labores,
Donec sera rubens accendat lumina vesper.

Artificii est fundere Virgilii versus tanquam suos.

EGLISEMMIUS.

——— *Redeunt alacres ad plaustra coloni,*
Donec purpureus det sera crepuscula vesper.

Multa

Multa erant longè honeſtiora opera, quibus exprimeret ſententia Prophetæ; qui non nominatim, ſed generatim producit hominem *ad opus*, tu *plauſtrarium* facis. Non pa lo civilius *Buchananus opus* vertit *labores*. Ne objicias *cultu ram*, aio, *culturam* comprehendere plurima mundiora *plauſtr* Virg. docet in Georg. miror cur non ſumpſeris Virg. ve ſum, quem poteras eodem jure, quo ille, niſi crederes t meliorem facturum.

VATABLUS.

Quàm multiplicata ſunt opera tua Jehova? Omnia ipſ in ſapientia feciſti: completa eſt terra poſſeſſionibus tuis.

BUCHANANUS.

Sic pater in cunctos didis te commodus uſus,
Nec tantum tellus, genitor, tua munera ſentit,
Tam variis fœcunda bonis. ---

EGLISEMMIUS.

Sancte opifex quanto moliris cuncta decore,
Conſilioque ſtruis? moles terrena tuarum
Dives opum exultat. ——

Agitur, ut ego ſentio, non ſpiritu Poëtico hic auctor ſed motu naturali; qui ſemper velocior eſt in fine, ut hi Poëta melior in poſtremis verſibus. Ego tamen non appo ſuiſſem *ſtruis*, nec adjeciſſem *moles*, nec dixiſſem *exultat* nam *ſtruis* & *moliris* idem. *Moles* verò, & *moliris*, faſtu potiùs quàm figuram loquuntur. Et *exultant*, quod *Buche nanus* tripudiantibus piſcibus aſcribit bene, aſcribit hic no bene, terræ.

VATABLUS.

Hoc mare magnum & latum locis: ubi reptilia, quorum non eſt numerus, & beſtiæ puſillæ cum magnis.

BUCHANANUS.

——— *Sed & æquora ponti*
Fluctibus immenſas circumplectentia terras
Tam laxo ſpatioſa ſinu, tot millia gentis
Squammigeræ tremulâ per ſtagna liquentia caudâ
Exultant. ——

EGLISEMMIUS.

EGLISEMMIUS.

Latè circumsonat ingens
Oceanus, seu parva lubet, seu magna ciere
Corpora squammigerum, vitreâ complectitur alvo
Innumeras pinna fluitantes remige turbas.

VATABLUS.

Ibi naves ambulant, & Leviathan iste, quem formasti ad ludendum in eo.

BUCHANANUS.

Tot monstra ingentia, & horrida visu
Veliferas circumnant puppes, grandia cete
Effingunt molles vitreo sub marmore lusus.

EGLISEMMIUS.

Pandentes levibus naves cita carbasa ventis,
Marmoreoque sinis balænas gurgite passim
Carpere jucundos vitreo sub gurgite lusus.

Non intelligo quid sit, *Sinis naves pandentes cita carbasa.* Nec sensus bonus est, nec syntaxis: ego scripsissem *pandere.*

VATABLUS.

Universa ipsa in te sperant, ut des escam ipsorum in tempore suo.

BUCHANANUS.

Atque adeo quæ terra vomis, quæ fluctibus æquor
Educat, à te uno pendent, Pater optime, tequè
Quæque suo proprium pascunt in tempore victum.

EGLISEMMIUS.

In te summe Parens hæc inclinata recumbunt
Omnia, temporibus victum poscentia certis.

Hæc ergo omnia non recumbunt in Deum, nisi *inclinata*, jacentia, & debilitata? Falsum, & contra mentem Prophetæ. Immò hæc omnia erecta, integra, & firmis viribus in Deum sperant, à Deo pendent. Phrasis Virgiliana detorsit

calamum tuum in hoc diverticulum ex 12 Æneid.

——— *Domus inclinata recumbit.*

VATABLUS.

Das iis, colligunt: aperis manum tuam, ſaturantur bon

BUCHANANUS.

Te magnam pandente manum ſaturantur abundè
Omnia. ———

EGLISEMMIUS.

Te dante accumulant, dextram laxante renident
Exaturata bonis. ———

VATABLUS.

Abſcondis faciem tuam, turbantur: aufers ſpiritum eorum deficiunt, & in pulverem ſuum revertentur.

BUCHANANUS.

——— *Te rurſus vultum condente fatiſcunt:*
Te tollente animam, ſubitò exanimata recurrunt
In cinerem. ———

EGLISEMMIUS.

——— *Vultum celante pæveſcant,*
Vitales reſecante moras, animæque nitorem,
Protinùs in tenuem vertuntur pulveris umbram.

Vitales reſecare moras, id eſt, morti addicere, privare vi Non vulgaris certè phraſis, petita ex abditioribus loquen formulis, fortè obſcurorum virorum epiſtolis, Prætereà ſu junxit aliam phraſin longè deteriorem, *reſecare nitorem a me*, quod quid ſit ne Sybilla quidem interpretur. Dein *vertuntur in pulveris umbram*: hoc corruptionis genus ignor vit Ariſtoteles. Umbra enim privatio eſt, in quam nu res vertitur. Sanè fruſtrà, non dicam ineptè, plus dicit quàm Propheta: ille, *in pulverem ſuum revertentur*: hic, *tenuem verſentur pulveris umbram.*

VATABLU

VATABLUS.

Mittis ſpiritum tuum, creantur: & innovas faciem terræ.

BUCHANANUS.

——— *Inſpirante animam te denuò, ſurgit*
Illico fœcundæ ſobolis generoſa propago.
Et deſolatas gens incolit aurea terras.

EGLISEMMIUS.

Aſperſo rediviva tuo ſpiramine ſurgunt,
Squallentique redit facies lætiſſima terræ.

Ex hac paraphraſi unius verſiculi, facile erit decernere, quot ſtadiis præcurrat *Buchananus* non hunc, quem piget nominare, ſed omnes Poëtas, præter incomparabilem Maronem. Hoc ut clarè intelligamus, interpretemur exactè verſiculum Prophetæ; *Mittis ſpiritum tuum, creantur: & innovas faciem terræ.* Principiò, *creantur*, non accipitur propriè, ut Theologi capiunt, pro eductione ex nihilo, ſed pro eductione in genere & procreatione individuorum, in diverſis eorum ſpeciebus. Itaqué quamvis poteſt Deus opt. max. mittere *ſpiritum ſuum*, & vitam reddere iis, quibus abſtulit, etiam in individuo: ut verè faciet tandem in reſurrectione omnium hominum: tamen Propheta hîc loquitur de miſſione ſpiritûs vitalis in animantium genera per novam generationem, quo ſenſu rectiſſimè *renovat faciem terræ*; quum poſt varios caſus, & occaſus animalium, iterum replet orbem novo fœtu per generationem. Jam videmus quàm veritè, quàm facundè, quàm poëticè, hæc omnia cecinerit ille noſter Caledonius.

——— *Inſpirante animam te denuò, ſurgit*
Illico fœcundæ ſobolis generoſa propago.

Hoc eſt, *Mittis ſpiritum tuum, creantur.* Pergamus, *& innovas faciem terræ.*

——— *Et deſolatas gens incolit aurea terras.*

O verba planè aurea: ô regem poëtarum: agis Theologum, dum interpretaris: agis Poëtam; dum fundis iſta bella. Mallem eſſe auctor horum trium carminum, quàm ex Togatulorum. Audiamus jam ſtrepitum verborum *Egliſemmii.*

Aſperſo rediviva tuo ſpiramine ſurgunt,
Squallentique redit facies lætiſſima terræ.

Hæc paraphraſis videtur interpretari Prophetam, de re
vatione faciei terræ: quæ ſit quotannis, cum induit nov
quodammodo veſtem, & herbeſcentem diffundit virid
tem, ut ait Tullius; quæ, an ſit ad mentem Prophetæ,
dicent alii: hoc tamen non duxi prætermittendum, q
Spiramen vel Dei Spiritum tanquam liquidum quid fo
vel ut oleum, aſpergi dicat.

VATABLUS.

Erit gloria Jehovæ in ſeculum, & lœtabitur Jehova i
peribus ſuis.

BUCHANANUS.

Sic eat, & nullo regnet eum fine per ævum
Majeſtas divina, ſuumque in ſecula lætus
Servet opus Deus. ——————

EGLISEMMIUS.

Compleat æterno venientia ſecula plauſu
Fama Jovæ. Charas, operum monumenta ſuorum,
Delicias rex uſque vocet. ——————

Primo verſu, non illaudata profecto paraphraſi, ſen
Prophetæ reddit. Conferamus.

Erit gloria Jehovæ in ſeculum.

Compleat æterno venientia ſecula plauſu
Fama Jovæ ——————

Secundo verſu, paulò obſcurior eſt, & nemo homo
loqueretur.

Lœtabitur Jehova in operibus ſuis.

——————— *Charas, operum monumenta ſuorum,*
Delicias Rex uſque vocet. ——————

VATABLUS.

Qui aſpicit terram, & tremit: tangit montes, & fuma

BUCHANANUS

BUCHANANUS.

——— *Ille Deus, qui territa tellus*
Concutiente tremit, montes tangente vaporum,
Fumifera trepidum nebula teſtante pavorem.

EGLISEMMIUS.

——— *Cui viſa repentè*
Terra tremit, rupes tacta radice vacillans
Exudat refugos dorſo fumante vapores.

Rurſus bellè incipit, & belle loquitur. Conferamus cum contextu.

Qui aſpicit terram & tremit.

——— *Cui viſa repentè*
Terra tremit. ———

At quæ ſequuntur verba planè tremunt. Cur ais? *tacta radice.* Nihil tale habet Propheta: ſed dicit, *Tangit montes, & fumant.*

Lector amice, peto hic vehementer attentionem. Hoc verſu Propheta alludit ad montem Sinai, quem deſcribit Moyſes, Exod. 19. his verbis; In cujus verticem deſcendit Dominus & vocavit Moyſem *in cacumen ejus, totus autem mons Sinai fumabat, eò quod deſcendiſſet Dominus ſuper eum in igne, & aſcenderet fumus ex eo, quaſi de fornace.* Ergo deſcendit in *verticem* non ad *radicem.*

Annectit,

Exudat refugos dorſo fumante vapores.

Qui ſunt refugi hi vapores? Certum eſt fumos aſcendere, ſcribitquè Moyſes, *Et aſcenderat fumus ex eo:* quomodo ergo refugiunt?

VATABLUS.

Cantabo Jehovæ in vita mea, pſallam Domino meo quamdiu ero.

BUCHANANUS.

BUCHANANUS.

Hunc ego dum vivam, dum ſpiritus hos regit artus,
uſque colam. ——

EGLISEMMIUS.

Carmen erit Deus iſte mihi quoad ultima vitæ
Linea ſuccedat, mihi pars quoad ulla ſuperſtes,
Illi ſacra canam memori præconia cultu.

Videtur *Egliſemmius* extendere ſententiam horum verſuum ad laudes, quæ poſt hanc vitam ab anima ſuperſtite fundentur, quod eſt contra interpretes & mentem Prophetæ.

VATABLUS.

Dulce erit ei eloquium meum, ego lætabor in Jehova.

BUCHANANUS.

—— *Tantùm ille meas facilisque bonusque*
Accipiat voces: nempe illo oblector in uno.

EGLISEMMIUS.

Dulce melos meditatus ei: lætabor eodem.

Carmen hoc, & humile eſt, & tantum abeſt ab heroici carminis majeſtate, ut oleat ſolutam pueri orationem. Jure merito ſubjungam:

Turpe eſt Doctori cùm culpa redarguit ipſum.

VATABLUS.

Conſumentur peccatores de terrâ, & impii ultrà ne ſint.

BUCHANANUS.

At verò impietas planè extirpetur ab ima
Radice, & ſcelerum ſtirps nulla repullulet. ——

EGLISEMMIUS.

Rapta ſed in nihilum terras gens prava relinquat.

Reliquam

Reliquam versiculi Prophetæ partem reliquit lectoribus per apoſiopeſin ſupplendam. Expreſſit ornatiſſimus *Buchananus*:

——— *Et ſcelerum ſtirps nulla repullulet.*

VATABLUS.

Benedic anima mea Jehovæ. Alleluya.

BUCHANANUS.

——— *At nos*
Te rerum Deus alme Patrem dominumque canemus.

EGLISEMMIUS.

Pange Deo laudes poſitis mens libera curis.

Nihil habetur in textu, quod curæ ſignificent, niſi fortaſſe ſit illud *Alleluya*. Ego certè quidem fateor Hebraicè me minimè eſſe doctum; ſed accepi à præceptoribus *Alleluya* lætitiæ vocabulum eſſe, non curarum. Quoniam puduit tam lætum, tam lautum Pſalmum tam triſti verſu claudere, ſubjeci iterum ultimum *Buchanani* plenum urbis & elegantiarum.

Te rerum Deus alme Patrem Dominumque canemus.

FINIS.

GUIL. BARCLAII
AMOENIORUM ARTIUM ET MEDICINÆ DOCT: JUDICIUM,
DE
Judicio G. Eglisemmii, quo damnat Buchananum & læsæ Latinitatis, & violatæ poetices.

Principiò, præfiscinè, pronuncio magis esse arduum, in *Buchanani* Poëmate invenire versus non bonos, quàm in *Eglisemmii* non malos. Clara res est consideratè legenti.

Deindè, quæ objicit maximo & clarissimo Poëtæ, omnia sunt aut evidenter falsa, aut ridiculè puerilia, aut perperàm intellecta. Sed ordiar altiùs, & quid peccatum sit, & hîc, & ibi, judicio meo sine odio, & sine amore, palàm proferam. *Eglisemmio*, quasi Doctori, dabo primas: *Buchanano* secundas, ut tantùm docto. Scriptum suum ergò vocat *Duellum*, Anglicè potiùs, quàm Latinè. Nam *Duellum* idem est quod bellum: at bellum duorum partium quidem est, sed non duorum solùm. Vocasset *Certamen* potiùs, quòd inter duos sit frequenter. Crede Maroni:

Et certamen erat Corydon cum Thyrside magnum.

Epigraphe peccat iterum in *Decertantibus*. Certè non decertat jam *Buchananus*, nisi fortassè cum Orpheo, in campis Elysiis

Elyſiis: ob quod certamen vocat fortè Egliſemmius *laſſatos ejus manes*, in Epiſtola ad magnum Regem.

In toto poëmate, tantùm octo ſunt, ſivè verſus, ſivè phraſes, ſecretiores litteraturæ myſtis tolerabiles: ſcilicet,

Ventorum alato peragras ſublimia curru:
Conſpicui nudata levant faſtigia montes:
Per tumidos rivus flectens veſtigia colles:
Sole recens orto latebroſis invia dumis
Antra ſubit: ——— ——
Innumeras pinnâ fluitantes remige turbas:
Illi ſacra canam memori præconia cultu.

Phraſes,

Cœnacula ponis in undis.
Per tumidos colles.

Solœciſmos, impropriè dicta, mancas paraphraſes, non hærentia membra, obſcura, ſuperflua, notavi *in judicio de Paraphraſi.*

Hic locus cogit contundere manifeſtas calumnias, quibus famatur nobilis Poëtæ eruditio. Inprimis, inquit *Egliſemmius*:

Syllabam Grammaticorum omnium regulis longam, hic inſulsè corripuit: nempè ultimam in *denuò*, à nomine puta *de novo* deductam.

Haud dubiè ineptum eſſet contendere cum *Mathematico* de nominum geneſi: ſed de quantitate ſyllabarum, ſoleo non Genethliacos, ſed Grammaticos conſulere. Inter quos, Victorinus affirmat *denuò* eſſe Dactylum. Et quoniam agimus cum Scoto, de Scoti eruditione, non erit abſurdum, teſtem etiam Scotum producere: is eſt. *Sedulius*, locuples admodùm, & religioſus teſtis, qui floruit circa annum quadringenteſimum trigeſimum. Ejus hic verſus eſt:

Vox Domini ſuperextat aquas, vox denuò verbum.

Ergo Grammatici, & Poëtæ nobis adſunt. Videamus an argumentis vincat. Putat ideò ultimam in *denuò* produci, quia à nomine deducta eſt: quid igitur amodò, ſedulò, mutuò, citò, quorum ultimas licet corripere? An non & ea à nominibus derivantur? Tandem accipiamus legem, quam ipſe tulit: ſint talia longa omnia; cur ille ſuæ legis immemor, corripuit priorem in voce *quoad*, nempe à nomine

quo deductam? & quod mirandum est, à nemine prius co-
reptam?

Secundò subjungit *Eglisemmius*:

Solœcismum turpiter commisit his versibus *Buchananus*.

Nevè iterum immissa tellus stagnaret ab unda:
Limitibus compressa suis resonantia plangit
Littora, præscriptas metuens transcendere metas.

Si enim epithetum *compressa*, attribuat *telluri*, falsa
reddit orationem. Et ut loquitur Scaliger, solœcismus er
in Philosophia: sin attribuat, *undæ*, solæcon dabit gramma-
tica, subjectum & substantivum collocans in obliquo cas
epithetum in recto: non licebit ei se defendere subaudi-
endo subjectum repetitum in recto, sola enim personali
hoc admittunt.

Existimo esse præter officium Medici, morbos oration
sanare: sed arbitror esse è re literaria, docere orationem v
getam, valentem, & satis superque sanam non ægrotare. E
versus *Buchanani*, non vitali solùm calore, sed vivido colo
pleni, nihil habent quod jure carpat vel *Invidia*. *Eglisemm-
us* taxat duo: *Plangit ne stagnaret*, & *Ab unda limitibus com-
pressa suis*.

Hac formula loquuntur excellentissimi auctores: Gramma-
tici vocant *Syllepsim casus*. Linacer sic definit; *Syllepsis e
cùm dissimilibus clausulis commune aliquid, quod in una ponit
mutatum aliquatenus, in alia desideratur*. Confer hanc defin-
tionem cum *Buchanani*;

Nevè iterum immissa tellus stagnaret ab unda,
Limitibus compressa suis. ———

Unda ergo est aliquid commune duabus clausulis, quod pri-
ore versu ponitur, & mutatum aliquatenus, scilicet in casu
sequenti versu desideratur. Satin' clarè? Intellexistin' *Egli-
semmi*? Quæso disce candidè loqui de viris doctis, & modest
de mortuis. Auctores Latinæ linguæ non semel utuntur ea for-
mula sermonis: *Cornel. Tacitus*, 2. *Annal. Quem auctorem utri-
usque regni, si sperneretur, vindicem metuebat.* Non est tibi Di-
ctatori inter Grammaticos, opus, ut arbitror Commentatore
Salust. Linguæ latinæ quasi quidem atavus, De ordinanda
Repub.

Repub. *Ad pecuniam, quæ, cuique libet, via nititur.* Eutropii. 8. *Propterea quòd à Trajano victa Dacia, ex toto orbe Romanorum infinitas eò copias hominum transtulerat.* Lac lacti non est similius, atque hæc oratio *Buchanani* verbis. Hic enim subauditur in nominativo, quod antè ponebatur expresiè in ablativo. Sed pudet repuerascere. Pergerem ad viriles & robustas, ut sic dicam, objectiones, nisi me paululum moraretur illa regula de *Impersonalibus*, quam bona fide, nec intelligo, nec lego apud Grammaticos.

Tertiò, ita infit *Eglisemmius.*

> Carmina solutam potiùs orationem quàm Heroici versus majestatem redolentia effudit ibidem: hæc scilicet,
> *Pollenti stabilita manu, terra obruta quondam.*
> *Veliferas circumnant puppes, grandia cete*
> *Exultant tot monstra ingentia, & horrida visu.*
> Nec non & ista:
> *Te tollente animum subitò exanimata recurrunt*
> *In cinerem; inspirante animum te denuò, surgit.*
> Et illa:
> *At verò impietas planè extirpetur ab ima*
> *Radice, & scelerum stirps nulla repullulet, at nos.*

Hos versus ut infœlicia lolia, ut steriles avenas, ut vitia quædam carminum libens eruncaret; Quos tamen nemo vel mediocriter Poëta, non intuetur ut lilia, non exosculatur ut rosas. *At solutam orationem redolent.* Si vocat solutam orationem, carmen grandi, & regio gradu incedens, quanquam ordo grammaticæ compositionis non turbetur: ipse Virgilius solutas fudit tales orationes:

> *O formose puer, nimium ne crede colori.*
> *Humida solstitia, atque hyems orata serenas.*
> *Vix è conspectu Sicula telluris in altum*
> *Vela dabant læti.* ———

Defatigaret lectorem repetitio mille versuum, quorum ipsa simplicitas, virtus est, non vitium. Fortasse vocat illam orationem tantùm carmen, quæ turbido & temulento passu grassiùs, & ordinem confundit, & rem obscurat. Qualem orationem Eglisemmii paraphrasis suppeditat.

Ambrosiæ montes irrorant astra liquore,
Muneribus satiata tuis pecoriqué virisqué
Aptas obsequiis, alimentis dulcibus aptas;
Promit humus teneris gemmantes floribus herbas.

Hæc oratio vel Oedipum cruciaret.

Pergit Egliſemmius.

Nec urgebo admodùm carmina quàm proximè ad ridiculam Leoninorum naturam accedentia: quorum medio, & penthemimeri finis reſonat.

Paucis interpoſitis.

Sapiunt hæc fere incultum id ſeculum, quo ſenes, & circulatores rythmicis hexametris unicè delectabantur. Cujuſmodi celebratur illud marmoreæ cathedræ Weſtmonaſterii appenſum.

Ni fallat fatum, Scoti quocunque locatum
Invenient lapidem, regnare tenentur ibidem.

Antagoniſta hic definit Leoninum verſum, & ponit exempla: utrumque malè. Nam qui damnat Buchanani carmina, virtute definitionis, is neceſſariò abſolvit eadem, vi exemplorum. Si, ut cum Philoſophis loquar, eſſentia Leonini verſus conſiſtit in ſono ultimæ ſyllabæ, reiterante quodammodo poſtremam ſyllabam Pentemimeris: certè verſus Leoninos admiſit quoque Virgilius:

Quæ regio in terris noſtri non plena laboris?
Nuſquam amittebat, oculoſque ſub aſtra tenebat.

Jam verò exempla docent contra deſcriptionem, non ultimæ ſyllabæ rationem habendam, ſed penultimæ.

Ni fallat fatum, Scoti quocunque locatum.

Ad hanc regulam nulla ſunt carmina *Buchanani*. Atque etiam ſi talia carmina ſenum tantùm ſunt, & circulatorum: circulator Ovidius eſt: ſic enim ille in Arte;

Quot cœlum ſtellas, tot habet tua Roma puellas.

Circulator Virgilius eſt, qui 10. Æneid.

I nunc, & verbis virtutem illude ſuperbis.

Quartò, Increpat *conjunctiones toties iteratas*. Miror: illæ enim

sim sunt, sine quibus poëticum opus ædificari nequit. Ad natum aliquando ponuntur, aliquando ut expleant, etiam ne necessitate.

Nam neque Parnassi urbis juga, nam neque Pindi.
Multa quoque & bello passus. ——
Atque hinc atque illinc humeros ad vulnera durant,
Molemque & montes. ——
I nunc, fodes, Virgilium increpa.

Quintò, Elisiones numerat, nempè, triginta quinque: tot quidem ornamenta, sine quibus carmina non parum suæ magnitudinis amitterent. Opponam unum hemistichium, adversus tot testes, obtorto collo, huc à te ductos.

Phyllida amo ante alias. ——
Ubi quatuor verba, tres Elisiones.

Sextò, *Congessit* (inquit Eglisemmius) *omnia supplementa miserè laborantis ingenii, nempè, tùm, tantùm, sic,* &c. Nunquam legit Eglisemmius, ut apparet, patrem poetarum Homerum: in cujus decem versibus obiter occurrentibus, plures non necessariæ particulæ leguntur, quàm in sexaginta versibus Buchananis. Architecti, haud dubiè, te præfectum non admittent; immò mittent potiùs in latomias lapidarias; qui parietem sine calce, sine cœmento, eodem jure ædificandum censeres, quo poëma sine particulis, quæ tanquam fibræ continent membra orationis, & continuam faciunt sententiam. Itaque tales voculæ, *non sunt supplementa miserè laborantis ingenii*, sed signa acerrimi judicii, periti artificis, & indicia perfectissimæ orationis.

Septimò, accusat *nugationes*, & ponit exempla:
Dein rursus sole renato.
Inprimis, hunc versum non intelligit. Sermo est de feris quæ noctu vagantur; Sole verò orto, sese recipiunt.
Tum fera prorepit latebris ——
Quando? Cùm
Per tacitas spargis nocturna silentia terras,
—— *Dein, rursus, Sole renato*
Abditur occultis prædatrix turba cavernis.
Construe si placet, *Dein, Sole renato, prædatrix turba rursus*

ſus abditur. Sed fac dixiſſe *rurſus renato Sole.* Quid tum an non Latinè? an non elegantèr dicitur? Sanè, vel decim Muſa Plautus non eſt Latinè loquutus. Pœnul. Prolog. *Re verte rurſus.* Bacchid. *Rurſum recipere.* Ciſtellar. *Rurſum r currere.* Petron. Arbiter. *Rurſus me ad bibendum revocavi* Suet. *Rurſus repetitâ Bithynia.* Nugari eſt his nugis reſpo dere. Academia Pariſienſis, quam judicem elegit, faci crederet Ellebori jugere inſanabilem eſſe hæc talia ſeri dicentem.

Octavò, Verba ſunt Egliſemmii, *Reſonantia literarum fi liwm in vocibus ſimiliter deſinentibus in (a) indigna eſt e dito Poëta:*

Tremulâ per ſtagna liquentia caudâ
Tot monſtra ingentia & horrida viſu.

Non eſt ergo eruditus Ovidius:

Cætera cum charta dextra loquuta mea eſt
Parce laboranti picta dea læva pharetra.
Vaneſcat culpâ culpa repulſa tuâ.
Et riget amiſſâ ſpina relicta roſâ.
Decepta eſt operâ nulla puella meâ.

Non eſt eruditus Virgilius, qui canit:

——— *Bella, horrida bella.*

Nonò, *Integrorum penè verſuum, in aliis auctoribus, & in ip ſo alibi poſitorum mutatio, egeſtatem denotat:* ut horum,

Ætheris æternas rector moliris habenas. Item,
Donec ſera rubens accendat lumina veſper.

Hoc eodem argumento accuſat Homerum, accuſat Virgili um, & pleroſque principes Poëtas Cogor hic calamum ab jicere, & ſaniorem precari *Egliſemmio* ſanitatem, ne valetu dine abutatur ſcribundis ægris operibus. Nè videar tamen iniquus judex, magnum opus aggrediar, & audebo verſu etiam Buchanani cenſoria virgula notare. Ut ſentiant lecto res Egliſemmium preteriiſſe locos, qui præferebant ſpeciem peccati; animadvertiſſe in innocentes. Pronunciabo ego quidem ſententiam meis verbis, non meam, ſed Momi, qui ſuperſtitioſè curioſus alt tertium verſum ſuperfluum, & dicti onis, quaſi impetu, natum.

Ætheris æternas rector moliris habenas.

In

In judicio noſtro de paraphraſi reſpondimus.

Deinde cùm ſermo habetur de ſententia ejus verſus, — *Apparent accinctæ auræ*, ſurgit ille, & ait, Apoſtolum clarè, & ſine dubio, verſum illum interpretari de cœleſtibus Spiritibus, qui ab officio dicuntur Angeli: Cujus interpretationem decet nos Chriſtianos venerari, & ſequi. Non inficior. Poëta tamen ſequutus videtur veterum Hebræorum ſenſum, qui hunc locum de ventis, & igneis meteoris expoſuerunt. Sed pace tuâ, Mome, verba Prophetæ utramque interpretationem admittunt, & Theodoretus utramque conjunxit, *Qui facis Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem urentem*: id eſt, facis ut Angeli miniſtri tui habeant velocitatem ſpirituum, hoc eſt ventorum; & efficaciam ignis urentis: atque ita ſint veluti quidam ſpiritus in diſcurrendo, & veluti quidam ignes divini in operando.

THOMÆ RHÆDO

SUO, S. P. D.

CUM induxissem animum proferre judicium meum de paraphrasi G. EGLISEMMII quæ publicè edita circumferebatur: ostendit mihi quidam ejusdem Psalmi paraphrasim tuam; quam cùm etiam censorio animo, & exactè legissem, arbitratus sum dignam, quæ videretur ab omnibus, & propter elegantiam carminis, & propter expressam Poëtæ mentem non semel præ cæteris, & propter antiquitatis, & doctrinæ non obscura argumenta. Satis scite scire quæ dico; sed ut alii sciant, promam exempla. Primum ipsum carmen pulchrum est, & splendet.

Eia age, divinos, mea mens, celebremus honores.
Et illud,
Tu gemmata tibi tendis conopea cœlos.
Et illud,
Perlibusque hærere jubes cœnacula nimbis.
Quid potest dici argutiùs isto?
——— *Ne concidat, in se*
Undique nixa cadit. ———

Quod sequitur non limpidè solùm fluit, sed fluit ex fontibus philosophiæ naturalis.

Tu trahis illimes montana ab origine fontes,
Quos pecudes, & prata bibant. ———

Jam

Jam notemus Prophetam duobus versibus, xiiij. & xv. mentionem *panis* facere. Priore versu *panem* accipit pro omni cibo: hinc Tremellius vertit, *ut depromant cibum de terra.* Altero versu, *panem* capit, pro pane propriè dicto, ut opponitur obsonio: sic hos versus interpretatur *Theodoretus*, & alii. Utramque sententiam exprimis:

Et dulces genus omne cibos. ——

Paulò Pòst:

Et gustata Ceres fessos corroborat artus.

Quis non suspiciet reconditam eruditionem in illo versu?

Cuique piam credit sobolem crotalistria, pinus.

Pia soboles, latiùs, & propriè dicitur. Et *Crotalistria*, convenit ciconiæ tam decorè, ut nihil suprà. Et eleganti figura ponitur sine substantivo.

Amo hemistichium;

—— *Lictorque sacras ulciscitur iras.*

Maro videtur dictasse tibi *Umbram odoratam.*

Cedrus odorata Libanum quæ protegit umbra.

Qui ipse *umbram amaraci* vocaverat olim *dulcem.*

Non dicam oppidò quàm intimè penetraveris in sensum Prophetæ illo versu:

Tu stata multiplici designas tempora Lunâ.

Intueor *astriferum* illud *peplum*, admirans elegantiam translationis:

Ut verò astrifero texit nos omnia peplo.

His versibus quot figuræ lucent:

Plena tui tellus, rerum sator, æquora plena;
Æquora squammigerûm domus ingens. ——

Servat & translationem, & sententiam Prophetæ hoc quod sequitur:

Dum nova vernat humus, subitisque arridet alumnis.

Denique viginti aliquot versibus brevior es utroque paraphraste. Fatear seriò, & bona fide, me non audere per pudorem exprimere laudes, quas ego judico te mereri.

Sed ne fraudetur Lector tam exquisitè eleganti carmine, subjiciam totum. Quæso te vel patriæ caussa, cui vivimus; ne patiare venam illam tuam exaresce re. Non deest argumentum, cui est, & materies, & Mæcenas *JACOBUS MAGNUS.*

Vale.

PSALMI CIV.

PARAPHRASIS THOMÆ RHÆDI.

EIa, age, divinos, mea mens, celebremus honores.
Nulla tuas æquant, Genitor, præconia laudes;
Te tua Majeſtas, te formæ æterna juventa,
Dives inacceſſæ veſtit te purpura lucis.
Tu gemmata tibi tendis conopea cœlos,
Penſilibuſqué hærere jubes cœnacula nimbis.
Tu nubes auriga premis; ventoſqué jugales
Circumagis, vaſtumqué truces per inane fatigas.
Nunciat aura levis tua juſſa; ſed impiger ignis
Exequitur, lictorqué ſacras ulciſcitur iras.
Stat tellus immota loco, ne concidat, in ſe
Undique nixa cadit: fuit olim merſa profundo,
Lugubri montes palla cum texit abyſſus.
Sed tua vox diſjecit aquas; tonitruqué paventes
Deſiluêre jugis: ſtagnat convallibus humor,
Ima petens: ſpumæ rorantia littora quaſſant;
Ne redeant, terraſqué tegant, hic terminus hæret.
Tu trahis illimes montana ab origine fontes,
Quos pecudes & prata bibant, & ſecla ferarum.
Hic ubi natales mulcetis carmine ripas,
Et viridi celatis, aves, ſub tegmine nidos.
Quin etiam montes, te dante, è nubibus, almo
Rore madent: te faſſa patrem parit omnia tellus,
Gramina jumentis, ægris mortalibus herbas,
Et dulces genus omne cibos; ut pectore curas
Vina fugent, pinguiqué oleo frons læta niteſcat,
Et guſtata Ceres feſſos corroboret artus.

Te

Te plantante, virent ſylvæ; domus alta volucrum
Cedrus odoratâ Libanum quæ protegit umbrâ:
Cuique piam credit ſobolem orotaliſtria, pinus.
Perſultat, duce te, rupes, fraudeſquè ſequentûm
Cerva fugit: ducitquè hiſtrix ſub pumice ſomnos.
Tu ſtatâ multiplici deſignas tempora Lunâ;
Quadrifidumquè rotas Solis decurſibus annum.
Ut verò aſtriferò texit nox omnia peplo
Deſtituunt ſua luſtra feræ: catuliquè Leonum
Te, Deus alme, vagis prædam rugitibus orant.
Mane novum pellit ſaturos, conditquè latebris;
Et vocat è ſtratis avidos ad aratra colonos.
Fervet opus donec jubeat diſcedere veſper.
O decor, ô cunctis lucens ſapientia factis!
Plena tui tellus, rerum ſator, æquora plena:
Æquora ſquammigerûm domus ingens; hoſpita nautis.
Vela tremunt Zephyris: balena è naribus undas
Emovit, & tardo mollitur corpore ſaltus.
In te magne pater, quæ ſpirant omnia, ſperant:
Tu tempeſtivam præbes orantibus eſcam.
Te ſpargente legunt: ſatiataquè divite dextra
Exultant: marcentquè tuo defecta favore,
In cineres redeunt, vitæ cùm dulce repoſcis
Depoſitum: Juſſuquè tuo de pulvere ſurgunt.
Tum nova vernat humus ſubitiſquè arridet alumnis.
O regnes fine fine bonus, fine fine beatus:
Quæquè creas, ea lætus ames: te vaſta minante
Terra tremit; fumoquè metum juga celſa fatentur.
Tu mihi carmen eris, genitor: tu, ſola voluptas:
Tu deſiderium: rumpet mors unica vocem.
At cadat impietas; imaquè à ſtirpe reciſa
Areſcat; juſtaquè levet formidine terras.
Eia, age, divinos, mea mens, celebremus honores.

FINIS.

PARAPHRASIS POETICA PSALMI CIIII.

Auctore ARTURO JONSTONO SCOTO.

Juxta Exemplar impreſſum *Aberdoniæ*, 1637.

Benédic anima mea Domino, &c.

DIcere fert animus ſuperûm nova carmina regi,
Quem ſacra Majeſtas cingit, & ambit honos.
2. Se radiis, ceu veſte, tegit, ceu byſſina vela
Explicat aſtriferi mœnia vaſta poli.
3. Inter aquas domus alta trabes expandit eburnas,
Dantque triumphales nubila ſumma rotas.
Terga premens Zephyris, Euriſque jugalibus actus
Pervolat Eoas, occiduaſque plagas.
4. Stant circum aligeri proceres. flammæque miniſtræ,
Et certant alacres, quò jubet ille, ſequi.
5. Pondere nixa ſuo, medio ſtat in aëre tellus
Pendula, nullius præcipitanda manu.
6. Illa priûs pelago, ceu velo, tecta latebat,
Altius & ſummis montibus æquor erat.
7. At ſimul intonuit tua vox, pater alme, mariſque
Cedere juſſit aquam, juſſa receſſit aqua.
8. Surgere cæperunt montes & ſidere valles.
Collibus incinctæ nubiferiſque jugis.
9. Tu mare ſepſiſti clauſtris, ne, fœdere rupto,
Terra repentinis obrueretur aquis.
10. Vallibus in mediis, & rupes inter acutas,
Flumina tu ſtabili currere lege jubes.

11. His

11. His pecudes, timidiqué ſimul ſaturantur onagri
Quæque colunt ſylvas, & loca ſola feræ.
12. Hæc circum glomerantur aves, nidoſque loquaces
Intexunt ramis, arboreiſqué comis.
13. Æthereo tu rore beas juga conſita dumis,
Totaque cœleſti ſub pede ridet humus.
14. Hæc pecori gramen de vectigalibus arvis,
Hæc homini veſcum ſponte miniſtrat olus.
15. Farre novas vires, & vultum pingis olivo,
Et recreas dulci triſtia corda mero.
16. Sylvarumque potens Libani ſacra culmina cedris
Conſeris, hîc volucrum pendula tecta locas.
17. Apta fretis abies ſe tollit in æthera, pullos
Paſcit, & hic colubris nuntia veris avis.
18. Incolit imbellis latebroſa cuniculus antra.
Errat & in ſummis hirta capella jugis.
19. Tu Lunæ rapidis metiris tempora bigis;
Sol jubar Heſperiis, te duce, mergit aquis.
20. Tu tenebris condiſqué diem, noctemque reducis,
Noctivagaſqué feras, quo lubet, ire jubes.
21. Tum ruit in prædam ſoboles animoſa leonis,
Et te mugitu ſupplice poſcit opem.
22. Aſt ubi Sol oriens vitreis caput extulit undis,
Turba ferox latebras quærit, & antra ſubit.
23. Gens hominum intereà ſtratis excita labore
Inſtat, & in noctem continuatur opus.
24. O Deus, ampla tuæ quàm ſunt miracula dextræ!
O quàm ſolerti ſingula mente regis!
25 Divite tu gazâ terras & meſſibus imples,
Nec minus eſt vaſti fertilis unda maris.
Squammiger hanc peragrat populus, proleſque parentem
Stipat, & ingentes turba minuta duces.
26. Hic inter, circumque rates maris incola piſtrix
Ludit, & informi mole ſuperſtat aquis.
27. Quicquid humus, vel pontus alit te ſuſpicit, uno
Te tempeſtivas poſcit & ore dapes.
28. Cuncta legunt epulas, tu quas, pater alme, miniſtras,
Cuncta ſaginantur te referante manum.
29. Omnia turbantur, tu cum jubar occulis oris,
Et fiunt, animam te revocante, cinis.

30. Mox

30 Mox ubi vitales inspiras luminis auras,
Sæcla renascuntur, fussaquè vernat humus.
31 Ætheris ergò parens omni cantabitur ævo,
Gaudebitquè operis nobilitate sui.
32 Illius adspectu tellus tremit infima, fumant
Ardua cœlesti culmina tacta manu.
33 Æthere dum vesci datur, & vitalibus auris,
Hic mihi materies carminis unus erit.
34 Grata sit huic opto vox hæc, sic gaudia carpam
Dum recolam domini munera tanta mei.
35 O pereant scelerum socii de stirpe reciſi,
O premat infandos fœda ruina lares.
Interea tu læta Dei mens concipe laudes,
Quisquis & hanc orbem, quem regit ille, colis.

PARAPHRASIS POETICA
PSALMI CIV.

Authore D. *GULIELMO STUARTO OCHILTRIO*,
Expleto nondum anno ætatis decimo quinto.

Juxta exemplar impressum Glasguæ 1672. *Et præfixum Libri* Thomæ Belli, *qui inscribitur* Roma Restituta.

EIa Patrem cane, pange Deo præconia laudum
Mens cognata Polo, quem Majestate serenat
Oris honos, redimitquè sacris circumflua pennis
Gloria, fidereo trabeatum lucis amictu,
Ille sibi ætherii subsellia firma theatri
Imbriferis contignat aquis, & celsus in axe
Nimbijugo dat lora volans, vehiturquè quadrigâ
Aëriâ, ventos frænans auriga jugales.
Aura levis promptis mandata capessere pennis,
Flamma voraxquè sacras ulcisci accingitur iras.

Fulti

ulta ſuæ molis ſolido fundamine tellus
tat nullâ violanda manu, quondam obruta tellus,
Equora cæruleo tegerent cum culmina velo:
Voce tuâ rumpente moras, varióque tumultu
Horriſono reboante polo, ſtupefacta repente
Fulmineas tremuere minas, teſtante pavorem
Terrificum refugo præſcripta in mœnia fluctu,
Cernere erat venis montes juga nuda ſolutis
Tollere, & ad poſitas valles deſcendere metas;
Et laceros undare ſinus, vallémque per imas
Irruere è mediis argentea flumina ſaxis.
Néve iterum terras perruptis undique clauſtris
Hauriat indomiti diffuſa licentia ponti,
Comprimis inſtabiles reſono molimine fluctus.
Perque humiles paſſim ſinuoſo tramite valles
Præcipites volvuntur aquæ, prærupta ſecantes,
Quas onagri pecudéſque bibant: hic remige pennâ
Vecta per altícomæ ſpatiantia brachia ſylvæ
Implumem fovet ore larem, ramoſque frequentans
Avia mulcet avis tremuli diſcrimine cantûs.
Montibus imbibitur gelidis argenteus humor
Nectaris ætherii: ſenſim & cum fœnore multo
De terræ locuplete penu genialia ſurgunt
Semina, vitales animanda vigoris in uſus:
Unde avidæ fœnum pecudi, mortalibus herbæ,
Et munus Cereale datur; mentemqué gravatam
Bacchi animans genialis honos, & ſuccus Olivæ
Exhilarans rutilum diffuſo lumine vultum.
Nec minùs & fœtus animat vegetabilis humor
Arboreos, Libani cedro ſua tecta virenti
Concelebrat pennata cohors: tibi pinea ſurgit,
Cui ſobolem, creditque pios Crotaliſtria nidos.
Sic ſilices lepori; ſed Echino concava ſaxi
Indulgent facilem tranquilla pace quietem.
Tu lunare decus ſtabili das temporis ortu
Inſtabiles lunare vices, & ſidus eöum
Clara renaſcentis reſerans ſpiramina lucis,
Heſperio recubare toro: tunc, cum urget in aſtra
Præcipitem lux prona diem, cava tecta relinquit

Quadrupedûm

Quadrupedûm ſylveſtre genus, catuliqué Leonum
Ore fremunt, poſcuntqué vagis alimenta querelis.
Cum croceis invecta rotis aurora reſurgens
Sparſerit in totum radiis nova lumina mundum,
Cæca cavernoſi ſubeunt penetralia ſaxi:
Fervet opus, ſempérque hominum manus emicat ardens,
Dum ruit, & fuſcis nox terram amplectitur alis.
Mens mundi, rerûmque parens, quàm mira patrâſti,
Cuncta movens, mota amplectens, amplexa gubernans!
Dædala nec tantùm ſentit tua munera tellus
Omnigenis diffuſa bonis; ſed & undiqué fluctu
Æquora, quæ medias lambunt circumſona terras,
Tam patulo complexa ſinu: quæ remige pinnâ
Concelebrat pinnata cohors, ſulcantque per undas
Fluctivagæ vada ſalſa rates: ubi grandia cete
Humida ſpumificis turbant chryſtalla choreis.
Incumbunt hæc cuncta tuæ, pater optime, curæ,
Temporibus ſatianda ſuis: te dante renident,
Et dextram pandente legunt; condenteque vultum
Prorſus in obſcuris tabeſcunt cuncta tenebris.
Te vitam tollente, fugit modo corporis artus
Spiritus, & tenues ſenſim vaneſcit in auras:
Vitales affiante auras, generoſa reſurgit
Progenies, tacitasqué novat gens aurea terras.
Gloria perpetuâ Domini renovanda juventâ
Floreat; æternámque operi det ferre coronam:
Quo radiis fulgente vagis, conterrita tellus
Intremuit, trepidisqué fluens de montibus ater
Undabat tangente vapor. Te proſequar uſque
Laudibus, hæc luteæ dum putris fabrica maſſæ
In cineres reſoluta cadat: fatalis at imâ
Impietas de ſtirpe ruet ſine ſemine: ſed mens
Eia patrem cane, pange Deo præconia laudum.

GUL. STUARTUS Ochiltrius.

PARAPHRASIS

PARAPHRASIS POETICA PSALMI CIIII

Authore D. *HENRICO HENDERSONO* ab *ELVINGSTONE*. M. D.

Nunc primùm edita, ex duobus manuſcriptis, inter ſe diligenter collatis; Quorum, Unum ſuppeditavit Digniſſ. D. D. Joannes Clerk *à* Penny-cook *Eques Auratus, & Authoris Gener. Alterum Doctiſſ. D. M.* Alex. Cuninghamius *primùm Philologiæ, poſteà Philoſophiæ, Profeſſor celeberrimus in Academiâ* Edinburgenſi.

1 MEns fer ad aſtra Deum, Iſaeidûm columenque decuſque.
Tranſcendit cunctas tua magna potentia metas.
Te veneranda tegit Majeſtas, Gloria cingit
2 Lucis inacceſſæ radiorum tegmine amictum.
Tu cœli expandis radiantes luce tapetes.
3 Pluſquàm marmoreis tua Regia fixa columnis
Fidit aquis: Nubes reddis moderamine currus.
Ventorum aligeros agitas temone jugales;
4 Spirituum ætherea legiones uſque miniſtrant:
Ignes & flammæ tua juſſa capeſcere gaudent.
5 Ponderibus librata ſuis ſtat in aëre Tellus
Immota, exigui fundata ſtatumine puncti.
6 Hanc olim undiſoni maris obduxêre procellæ,
Oceanuſque furens ſuper alta cacumina terræ;
7 Horribili ſed voce tuâ cecinêre receptum
Æquora, terribili tonitru fugiuntque repentè
Attonitæ reſidentque imis in vallibus undæ.
8 Scandere ſe ſimulant montes, deſcendere valles
In proprias ſedes fixit quas Conditor orbis.
9 Comprimis iratum pelagum, furibunda repellens
Murmura; ſeu valido ſpumantiaque ora Capiſtro,
Littoribus frænas, undiſque repagula monſtras
Ne velut antè fremens tellurem abſorbeat unda.
10 Tu ſalientis aquæ rivos, tu flumina aquarum
Dejicis in valles circumlabentia montes.
11 Unde armenta ſitim, pecudes onagerque feræque
Largius epotis poſſint compeſcere lymphis.

12 Ad rivos habitant volucres, ramiſque canentes
Oris blandiloqui concentibus aëra mulcent.
13 Ipſe rigas montes, deſtillans æthere ab alto;
Fructu operum imprægnata tuo telluſque refulget.
14 Pabula, tu pecori, rorantia gramina, profers.
Uſibus omnigenas hominis tu porrigis herbas.
15 Exhilaras animos vino, curiſque mederis;
Efficis & nitidos oleo ſplendeſcere vultus;
Pane tuo fragiles reparaſque in corpore vires.
16 Vivifici arboribus locuples data copia ſucci
Cedrifero in Libano, Domini quas dextra ſerebat.
17 Hic turmæ aligeræ fabricant ſua frondea tecta,
Hic vernatque abies ubi grata Ciconia degit.
18 Barbigeris capris tribuis juga celſa petrarum,
Rupibus in mediis quæritque Cuniculus antrum.
19 Per Lunæ inſtabilem ſtabilis tua tempora curſum,
Tu rapidum heſperias Solem convolvis in undas.
20 Juſſa tegit terras tunc nox velamine opaco,
Egreditur Sylvis furiataque turba ferarum;
21 Magnanimus poſcit ſupplexque Leunculus eſcam,
Te Dominum agnoſcens: rugit, regioque paveſcit.
22 Sol ſimul Eois roſeum caput extulit undis
In latebras & luſtra redit truculenta Caterva:
23 Tunc ad opus ſe accingit homo, alternoſque labores
Fert, donec tenebroſa nigris nox incubet alis.
24 Ampla tuæ laudis quot facta illuſtria proſtant!
Singula & in proprios uſus ſapientia finxit.
25 Luxurianſque tuis opibus terra undique geſtit.
Sic pelago hoc magno vaſtoqué Potentia grandis
Lucet, ubi undigenæ gentes regna uda pererrant:
Innumeræ reptant immanes mole feræque
Et parvæ, piſceſque natant, ſaliuntque per undas.
26 Hic & fluctivagæ ſulcant vada ſalſa carinæ.
Et ludit liquidis magnus Leviathan in undis,
Extans ſupremi mirandum plaſma parentis.
27 Quæqué Salo, quæcunque ſolo generantur ubique
Te ſpirant, ſperant, venerandum & numen adorant:
Et poſcunt dulcem opportuno tempore paſtum.
28 Cuncta legunt eſcas tribuis quas providus ipſis,
Tequé manum expandente, bonis ſatiantur opimis:

29 Si vultum abſcondis ſunt conſternata pavore
Si revocas animam, ſubito mors occupat atra;
Inqué ſuum vilem cinerem reſoluta faceſſunt
30 At ſimul emittis flamen rediviva creantur,
Vel, ſi mavis,
At rediviva creas validus ſi Spiritus inflat
Et decorat mundi faciem renovata juventa.
31 Æterni maneant Dominum per ſæcula honores
Inque opere excellat, geſtis lœtusque triumphet:
Vel, ſi mavis,
Gloria florebit Domini per ſæcula ſæclûm
Ille triumphabit geſtis, lætabitur actis.
32 Cujus ab aſpectu tellus concuſſa tremiſcit.
Cujus contactu montes ad Sydera fumant.
33 Dum fervet calidus circum præcordia ſanguis,
Dumque ſuperſtes ero recinam Dominumque Deumque
34 Dulce erit eloquium mihi, quod penetralia cordis
Effundent; erit ille mihi mea ſola voluptas.
35 Funditùs exciſi pereant cum ſtirpe ſceleſti,
Lumina nec ſolis turba unquam impura reviſat.
Mens fer ad aſtra Deum, Iſacidûm columenque decuſqué
Cuncta creata Deum totum celebrate per orbem.

F I N I S.

D. Henrico Henriſono *Medico, & Poëtæ celeberrimo.*

HEnriſone, duplex cui circum tempora Laurus
Floret, utrumque cui præſtat *Apollo* decus.
Sive Machaoniam poſcant contagio dextram,
Seu placet argutæ plectra movere lyræ.
Publica morborum requies, laus prima medentûm,
Ægrorumque ſalus, præſidiumque cluis.
Et *Buchananæus* certat tua muſa camænis,
Aptat ut *Iſacidæ* plectra latina lyræ.
Vatis Idumæos miſcent Stygioſque triumphos
Et medici, doctæ ſic monumenta manus.
Si medicina artus, ſanetvé poëtica mentem,
Nulli equidem vitæ ſanior uſus erit.
Sic radient geminâ viventi tempora palmâ,
Claraque defuncto deſtinet aſtra Deus.

Ninianus Paterſonus Lib. 2. Epigr. 11.

PARAPHRASIS POETICA
PSALMI CIV.

Auctore *NINIANO PATERSONO Glaſguenſi*
Juxta exemplar impreſſum *Edinburgi.* 1678.

Deus glorioſus.

ACcipe noſtratum genitor præconia laudum,
Qui ſuper excelſi ſinuoſa volumina cœli
Lucis inacceſſæ ſplendens, venerandus amictu
Majeſtate ſedes Auguſtâ; quique capeſſis
Quicquid id eſt mundi jure inferioris habenas.
Tu ſuperi convexa poli tentoria figis,
Atque tibi liquidis regalia ponis in undis
Tecta habitanda: levi raptos ſuper axe jugales
Nubila divinis cogis ſervire lupatis;
Invecto aſpirat *Zephirus* famulantibus alis.
Ociùs angelici flammâ per inane volante
Turba chori, levibus tenuem ſecat æthera pennis.
Libratumque ſuis valido ſuſpendis ab axe
Ponderibus mundum, moles ne tanta vacillet:
Quam velut injecto circumvelamus amictu
Corpora, ſic cumulus quondam ſubtexit aquarum;
Uſque adeo ut guttis juga celſa inſperſit amaris.
At ſimul increpuit tua vox, ſubitoque fragore
Intonuere poli, perterrita; montibus altis
Mox delapſa ruunt per apertas flumina valles.
Neve iterum effuſo ſtagnaret ab æquore tellus,
Arctus ab appoſitis limes diſterminat arvis.
Hinc altâ de rupe cadens convallibus imis,
Volvitur obliquus per ſaxa humentia rivus:
Unde per incultos relevent errantia campos
Bruta ſitim, ſiccique onagri vaga flumina libent.

Hic

Hic levis æthereas quæ nititur ales in auras,
Suſpendit ramis (operoſa cubilia) nidos:
Ingeminans ſuaves ruris ſolatia cantus.
Defluus incumbit ſcopulis ardentibus imber:
Cultaque labentes potant ſitientia lymphas.
Alma parens frugum tellus, tua munera ſentit,
Quæ partu fœcunda ſuo, gemmantia reddit
Gramina, quæ victumque homini pecudique miniſtrant.
Quæque cient alacres turbato in pectore motus,
Prodit odorati fragrantia munera *Bacchi*;
Quique hilarat vultum, ſuccum viridantis olivæ
Sufficit, & cererem reparandis viribus aptam.
Hinc fœtu largo ſaturatis prodiga fibris
Arbor fundit opes. Libani celeberrima cedrus
Gloria, diffundit ſpatiantia brachia ramos,
Alitibus nidos: thalamos procera pudicos
Hoſpitiumque abies tibi grata ciconia præbet.
Gaudet inacceſſis capra montibus hirta, cubile
Gaudet in umbroſis fodiſſe cuniculus antris.
Cura eadem aërii tractus tibi, nam tibi lunæ
Incertæ certo deducitur orbita motu.
Tu Solem auricomum, emenſum ſpatia omni cœli,
Ducis ad heſperium conſtanti lege cubile.
Ergo feræ obſcuris dum nox amplectitur alis
Tellurem, effuſæ latebris graſſantur, opimæ
Spe prædæ, & ſaltus late populantur opacos.
Ipſaque torvorum proles truculenta leonum,
Triſtia dum vacui ſtimulant jejunia ventris,
Mugitu ſupplex victum tua numina poſcit.
At ſimulac radiis tectum patefecerit orbem
Mundi oculus, trepido repetit ſua luſtra meatu
Turba rapax, feſſoſque ſopor complectitur artus.
Sic genus humanum aſſuetum labor urget in orbem
Intentumque operi tenet à *Pallantidos* ortu,
Dum referunt tacitam rubicunda crepuſcula noctem.
Quam patet amotis ſapientia provida metis
Summe Deus? vel quanta tuæ miracula dextræ
Magne opifex rerum? quot numinis undique proſtant
Argumenta tui? tibi vaſtæ climata terræ
Quàm ſis dives opum teſtes: teſtatur & unda

Circumfuſa

Circumfuſa tuis immenſo gurgite terris;
Quam variæ rerum facies & muta natantûm
Agmina ubique colunt; illic expoſta procellis
Horriſonis, ſalis alta ruit temeraria puppis.
Illic terribilis mole & vaſto impete priſtis
Fluctibus inſultat, luſuque indulget inani.
Quæ mare, quæ tellus, vel quicquid parturit aër,
Seu pecudum volucrumve genus, ſive agmina in undis
A te uno pendent, pater alme, & pabula cunctis
Sufficis, & propriam præbes poſcentibus eſcam:
Quæ das cunque avido ore legunt, alimentaque apertæ
Debent quæque tuæ ſaturata animantia dextræ.
Contrà ſalutiferum dum condis languida vultum
Tabeſcunt animamque potens dum ſubtrahis ægris
Artubus, heu cineres veterem labentia in ortum
Quæque ſuos repetunt; hoc volvitur ordine fatum.
Aſt ubi vitales genitor bone luminis hauſtus
Indulges ſuperi, vegetantia ſemina cœli,
Mox nova progenies certatim affurgit in auras
Æthereas, fœtuque beat ſua ſæcla recenti.
Sic tua perpetuis celebretur gloria ſæclis
Rerum æterne parens, ſic delectere tuorum
Mole operum, læto diffundens gaudia vultu.
Namque tibi ſolo (tua tanta potentia) nutu
Terra tremit, tactuque levi juga nubis opacæ
Umbra horrens, furvo ſubtexuit ardua velo.
Ipſe ego dum incertæ peragam ſpatia ultima vitæ,
Dum fruar ætherea luce & vitalibus auris,
Inſigni te laude feram, mihi ſuaviter ictæ
Materies eris una lyræ venerabile numen.
Dulce tui eloquium mihi, tu mihi ſola voluptas
Demulcens alacres purâ dulcedine ſenſus.
At verò intereat prorſus cum ſtirpibus imis
Eruta contemptrix ſuperi turba impia ſceptri.
Tu noſtræ interea capiens decora inclyta laudis,
Magne parens, feſto ſemper celebrabere plauſu.

FINIS.

PARAPHRASIS POETICA PSALMI CIV.

Authore *Gualtero Denistoun*, Ludimagistro *Mussilburgensi*
Juxta Exemplar impressum *Edinburgi*.

AD
NOBILISSIMOS, AMPLISSIMOS,
Consultissimosque Viros, Senatores in supremo foro Juridico,
JUDICES REGIOS: CAUSARUM PATRONOS
Doctissimos, Disertissimos, & de Republicâ optimè meritos:
Necnon Vigilantissimos, Peritissimosque Signeto Regio
SCRIBAS:

Dedicatio Paraphraseos *Psal.* CIV.
Modulante *Gualtero Denniston*, Ludimagistro *Mussilburgensi*.

Ipse tuebatur quondam sua carmina David,
Davide *defuncto Nympha ferebat opem.*
Nunc cum nulla satis vestro sine numine tuta
Causa sit, hoc VOBIS *jure dicatur opus.*

PSAL. CIV.

1 DExteram invictam canimus Jovamque
Qui triumphatis hominum & Deorum
Præfidet regnis, animatque vasto
Numine mundum.

2 Quam tuæ magnus stupefecit orbem
Gloriæ Splendor! Sacra tu sereni
Pandis, immensum veluti volumen,
Atria Cœli.

3 Tu domos Priscæ penetras Abyssi,
Tu rotis nubes vehis inquietis,
Et manus ventis tua Dædaleas
Assuit alas.

4 Jura tu brutis rigidasque leges
Rebus imponis; quibus antra parent
Æoli: parent rapidæ fluenta
Fervida flammæ.

5 Tu jubes terram solitâ revolvi
Orbitâ, gyros sibi constitutos
Audeat ne quo violare quondam
Avia saltu.

6 Hanc

6 Hanc salo, victis dominante ripis
Condidit mersam Deus. & superba
Montium illusit juga, vis aquarum,
Iraque ponti.

7 Voce sed magnâ moniti Tonantis.
Pristinas fluctus petière sedes,
Et minas ponti domat æstuantis
Reddita Tellus.

8 Illa disjectis violenter undis
Vox salutari penitus ruinâ
Montium, nasci juga, vallisumque
Æquora jussit.

9 Arduum sævis marium procellis
Littus opponis, tumidumque arenæ
Aggerem, quem non superabit æstu
Unda rebelli.

10 Et tamen valles salientis undæ
Rivulos potant, tua quos cavernis
Montium excivit, rapuitque in imos
Dextera campos.

11 Quos bibunt densæ pecorum catervæ,
Quos feræ potant avlumque turmæ,
Queis sitim pellunt Onagri colentes
Invia Tesqua.

12 Tu doces lætas volucrum cohortes
Ramulos parvis onerare tectis,
Et levi propter Latices morari
Otia cantu.

13 Proluit siccam pluvialis Æther
Barbam, & arentes humeros Atlantis,
Gratum opus glebæ sitientis, agris,
Agricolisque.

14 Ebria, epotis, alacrisque tellus,
Nubibus, gramen pecori dicatum,
Divitem humani pretium laboris
Sufficit herbam.

15 Vita frumentis alitur, Falerno
Redditur fœlix, oleo nitescit
Frons, & ærumnas animis abesse
Indicat atras.

16 Syderum invadit patriam propago
Arborum potis animoſa lymphis,
Et caput Cedrus Libani voluptas
Nubibus inſert.

17 Cedrus incertis avium catervis
Dat lares dulces: abies Pelargum
Accipit civem, piceo ſalubris
Grataque ſucco.

18 Cuncta Divini regit ordo fati,
Montium Damis juga deſtinantur,
Inter & rupes latebras Echinus
Invenit aptas.

19 Tu ſtato Lunam reditu fatigas:
Solis alternas radiis coruſci
Objicis terras, retrahiſque denſam
Noctis in umbram.

20 Eripis Soli, tenebriſque terras
Tradis ereptas, fera tum relictis
Ut famis ſuaſit rabies cavernis,
Territat orbem.

21 Ille prædonum Leo ſævientum
Rex, & ipſarum domitor ferarum
Inverecundo licet ore, ſupplex
Te rogat eſcam.

22 Sol, ubi averſæ rediere terræ,
Cogit occultis ſtabulis Leones,
Tunc levant turmæ pecorum diurno
Corpora ſomno.

23 Tum quoque ipſorum domitor Leonum
Excutit ſomnos homo, tum labores
Impiger poſcit, recreatque ſero
Membra ſopore.

24 Quanta ſolertis monumenta dextræ
Eminent, dextræ freta, quæ faceſque
Syderum & terras, agitat ſub omni
Sole jacentes.

25 Quæ per immenſas pelagi paludes
Piſcium ignotos populos, mariſque
Barbaras gentes, agit & profundo
Gurgite verſat.

26 Hic volant Puppes, choreasque Cetè
Improbas campo celebrant in udo,
Humidum vulgus stupet, & per omnes
Diffugit undas.

27 Quæ fovet tellus, fluidumque regnum
Tethyos, turmas miserans egenas,
Tu foves solus, recreasque dulci
Munere vitæ.

28 Dividis cunctis alimenta, dextram
Laudat altricem Tribus omnis, & tè
Exigit vitæ placidum statutæ
Auspice tempus.

29 Tu relegatas animas in Orcum
Trudis, & vitæ rubicunda rumpis
Stamina, occlusis adytis viisque
Sanguinis almi.

30 Ast ubi fibris residem ciere
In suos flexus placuit cruorem,
Tum ferax natis subitò renidet
Terra colonis.

31 Omnis hunc tellus colet, omnis ætas,
Cernet æterno celebrem triumpho,
Ipse lustrabit placido beatas,
Lumine terras.

32 Illius nutu trepidare magnus
Orbis; excelsi trepidare montes:
Et metum mistâ tremulo favilla
Prodere fumo.

33 Ille dicetur mihi; semper illum
Nostra clarabit Lyra, dum nec anni
Denegant vires, neque sanguis arti
Tardior obstat.

34 Sola nam nobis Deus est voluptas
Huic ego inducam choreas ovantes
Victor, Eöis numeris peritus
Condere carmen.

35 Det Deus terrâ pietas ut omni
Regnet, æternâ pietate Regum
Mens colat Regem, referatque casto
Pectore Laudes.

JONAS

JONAS PROPHETA,

HEROICO CARMINE

Latino descriptus, SEBASTIANO CASTALIONE Autore,

Juxta Exemplar impressum *Basileæ*, Ex Officina *Joannis Oporini* 1545.

ET

A nobis datum Bibliothecæ, almæ Matris Academiæ *Edinburgenæ*.

In prædicto Exemplari continetur etiam Πρόδρομος, sive PRÆCURSOR, id est, Vita *Ioannis Baptistæ*, Græco carmine heroico reddita, libris III. ita eleganter, ut linguæ Græcæ ac pietatis ex æquo studiosis, nihil possit esse lectu jucundius.

EDINBURGI,

Excudebant Hæredes & Successores *Andreæ Andersoni*, Regiæ Majestatis Typographi, *Anno DOM.* 1696.

SEBASTIANUS CASTALIO Bartholomæo Argenterio medico.

Mitto tibi Jonam, qui tetra piſcis ab alv
Poſt triduum rediit lumen in æthereum
Sic etiam Ieſus fracto conamine mortis,
In vitam rediit patre volente Deo.
Victa jaces ô mors, victori redde jubenti
Corpora, quæ longa condita nocte premis.
Redde, jubet victor: renuis? ſed reddere cert
Cogêris, tempus nec procul eſſe reor.
Jam video tenera trudi de cortice ficus,
Signa quidem noſtri non dubitanda boni.
Sic vivamus, uti noſter, quo tempore cunque
Adveniet, vigiles nos herus inveniat.

Baſileæ.

JONAS PROPHETA *HEROICO CARMINE* descriptus, Sebastiano Castalione Autore.

Latidicum canimus vatem, qui tristia summi
Jussa patris fugiens, immensa piscis in alvo
Conditur, & superis triduo pòst redditur auris,
Et tandem Ninivæ fert aspera dicta superbæ.
Tu mihi, qui cœli stellantia templa gubernas,
Quique maris magni, tempestatumque potens es,
Vela per Ægæum ventis impelle secundis,
Optatosque rudi navi da tangere portus.
Est in littoreis Judææ finibus alto
Joppe tunsa salo, quas olim Dania partes
Obtinuit pubes, duodenæ munere sortis,
Cum genus Abrahami Cananæa capesseret arva.
Quam perhibent urbem, cum totum fluctibus orbem
Perlueret genitor, sævis durasse sub undis,
Huc Jonas fugiens non mollia jussa Tonantis,
Venit, & in navem pacta mercede receptus;
In Cilicum fines pelago properabat abire:
Cum pater omnipotens cœli de vertice summo
Despiciens undas, vidit ducentia Jonam
Carbasa, & irato secum sic pectore fatur.
Ergo nostra fugit fluctus mandata per atros,
Sequè putat nostras (liceat modo tangere Tarsum)
Evasisse manus: nimirum dura jubemus,
Et piget auriculas mordaci radere vero.
Demens ah nimium, qui non vitabile numen
Vitat, & in stimulos calcem jacit improbus acres.
Non ita me novit Balamus, quem barbarus ille
Nunquam muneribus potuit corrumpere tantis,
Quin gentem diris fatalem lædere votis
Jussus in innocuum diras converteret omen:
Quamvis non nollet regi parere superbo,
Nonnihil indulgens tantæ mercedis amori.
Illum ego cogebam, stimulos sub pectore versans
Acres, invitum fari quæ dicere nollet.
Et me nunc fugitans Jonas, sibi tuta putavit

Alta,

Alta, poteſtati quaſi ſint impervia noſtræ.
Jamjam faxó ſciat, tempeſtatesqué, notóſqué
Imperio parêre meo, nuſquamqué caveri
Poſſe, manu totum qui circumplectitur orbem.
Hæc ait, & ventis laxas immittit habenas,
Et jubet inflari pernicibus æquora flabris.
Illi continuò liquidum per inane feruntur,
Invaduntqué maris criſpantia flamine terga.
Et primùm fluctus ſurdo cum murmure ſeſe
Paulatim tollunt: jamjamqué magiſqué, magiſqué
Inſurgunt, donec vertentibus æquora ventis,
In cœlum rupti montes tolluntur aquarum,
Et retegit fulvas immanis hiatus arenas.
Coguntur nubes, ignis micat æthere creber,
Intonat horrendum cœlum, incubat atra mari nox,
Jactaturqué feras, jamjam ſolvenda, per undas
Navis, & admittit laxis compágibus imbrem,
Exitiumqué viris tempeſtas triſte minatur.
Continuò nautis torpeſcunt membra timore,
Et fugiens ſanguis pallentes deſerit artus.
Ingemuere viri, tenſisqué ad ſidera palmis,
Auxilio implorant ſuperos, geminantqué querelas.
Hic vocat inſanum Nereum, vocat ille gemellos
Ab Jove prognatos: alius Jove pendet ab ipſo.
Quiſque ſuos, tanto preſſus diſcrimine rerum,
Poſcit opem divos, & numina ſurda fatigat,
Numina mens hominis quæ veri neſcia finxit.
At non undiſonum precibus mare flectitur ullis:
Sævit, & inſano vexat molimine navem.
Et nunc ſublimem tumidis ſuſpendit in undis,
Nunc depreſſam alto flavis affligat arenis.
Hæc miſeros cogit tempeſtas, pondere navem
Exonerare gravi, & lucro præferre ſalutem.
Fit jactura, natant merces, rapidiſqué feruntur
Fluctibus, & dives merſatur gurgite gaza.
Interea Jonas, aliis trepidantibus, unus
Inferiore ratis ſecurus parte jacebat,
Ignaruſqué mali, cœleſtia munera ſomnos
Carpebat, toto proſlans ex ore ſoporem,
Quem tanta rerum turbatus mole magiſter

Excutit

Excutit è somnis, & talì voce profatur :
Heus homo, quid tantum juvat indulgere quieti ?
Sævit hyems, & nos cum tempestatibus atris
Luctamur, tristi superos clamore vocantes,
Tu quasi tranquillo pelago, cœloque quiescis,
Nec secure vides quantis jactere periclis.
Quin potius querulo præsentis numen adoras
Ore dei, si quem colis, observasque deorum,
Si qua fortè salus superis luceſcat ab oris.
Omnes tentandi summo discrimine divi.
Sic ait. at nautis (nam sic deus ipse monebat)
Sortibus est visum tanti conquirere causam
Motus, & læsi scitari numinis iram.
Est aliquis nostrûm certè, qui sanguine dextram
Innocuo tinxit: vel qui pulsare parentes,
Alteriúsvè viri potuit fœdare cubile.
Quicquid id est, magnum est, superos nec crimina parva
Irritant adeò, cunctis ut tristia conflent
Funera, navigio quotquot portamur eodem.
Hæc nautæ, hæc uno cuncti simul ore fremebant.
Nec morâ, sors jacitur, miserum quæ crimine Jonam
Accusat, justasque jubet persolvere pœnas.
Illi continuò, quænam sit culpa profari
Hortantur, quodnam ob facinus sic ira deorum
Arserit, aut qua sit patria, quo sanguine cretus.
Quid ferat, aut quonam se conferat, unde profectus.
Tum demum vates, ubi planè cernit ademptum
Effugium, tales mœsto dedit ore loquelas :
Jamjam nulla fugæ spes est : hic vera fatebor,
Nautæ : vos animis vestris mea dicta tenete.
Non dubito, vestras quin se penetrarit in aures
Hebrææ nomen gentis, quæ ducit ab alto
Abrahamo magni generis primordia parva,
Solaque cœlicolûm sincerè numen adorat.
Hac ego sum vobis ortus degente, Jovæque,
Cui mare, cui tellus, cui magnus servit olympus,
Cultor, & interpres, populis venientia pando.
Atque utinam potius summo parêre Tonanti
(Dura licet mandata forent) mens læva tulisset:
Non ego nunc pelagi sævis agitarer in undis,

Nec

Nec culpam infœlix tam dira morte piarem.
Sed ſerò ſapitur, cum nil ſapientia prodeſt.
Eſt urbs, Aſſyrio colitur quæ maxima regno,
Quam Niniven dicunt (antiquus condidit Aſſur)
Dives opum, ſtudio male ſuadi perdita luxus,
Huc me cœlicolûm non mollia juſſa ferentem
Juſſerat ire pater, qui pravæ crimina vitæ,
Quorum jam fama celſus pulſatur olympus,
Reprimerem verbis, & triſtia fata minarer,
Ni maturarent ſceleratos ponere mores.
Aſt ego, vitarem qui vates eſſe malorum,
Conſtitui longè diverſas quærere terras,
Et Cilicum fines, Tarſumque venire per undas.
Heu nihil invito fas quenquam fidere cœlo.
Demens, qui fugiam imperium patris omnipotentis,
Cujus vaſta manu cingatur machina mundi.
Hoc crimen nautæ tanto nos turbine verſat,
Hoc propter tantas ſuperûm pater arſit in iras:
Poſcor ego ad pœnas, & vos contagio lædit.
Sic ait. at nautis jamdudum horreſcere membra,
Inſolitusque tremor totum pervadere corpus,
Ut didicere patris fugientem juſſa potentis.
Ergo ſolliciti quid agant, ſcitantur ab ipſo:
Si tua culpa nocet nobis inſontibus una,
Integròsque premit nimium vicina mali vis,
Dic age (nanque potes, nec te immortale Tonantis
Conſilium fallit.) quânam ratione piari
Culpa queat, quid te fieri te judice poſſit,
Quò Deus iraſci, quò ſervere deſinat æquor,
Ne cum re vitam rapidis ponamus in undis.
Sic illi. contra vates ſic reddidit ore:
Dura quidem fari, nautæ, ſed juſta jubetis,
Heu nunquam toto celatum tempore verum.
Sumite (quid multis?) jamdudum ſumite pœnas,
Et caput inviſum ſuperis freta in horrida ponti
Præcipitate viri: ſquamoſos paſcere piſces,
Triſte quidem dictu, ſed factu triſtius. atqui
Hac demum ratione Deo, ventiſque ſecundis
Effugere, & portus fas eſt intrare quietos.
Quippe vetat vindex ſcelerum Rhamnuſia, Jonas

Qui

Qua vehitur, superûm Jonas contemptor, & æqui,
Rectos in portum cursus tenuisse carinam.
Me sine, non mecum, portus tangetis amicos.
Apporto mecum, mecum deporto procellas.
Hæc ego tam certò novi, mihi credite nautæ,
Quàm scio me patris jussa detrectasse supremi.
Hæc ait, & presso Jonas obmutuit ore.
At trepidis nautis factum crudele videri.
Ipse gubernator primus parêre recusat.
Humanâne anima præ lucis amore timemus?
Tantáne nos tenerat vivendi dira cupido?
Non ita: quin potius terram repetamus, & illic
Pondere letali navem, sine morte, levemus.
Sic fati, validis inistunt tundere remis
Æquor, & adversis obsistere fortiter undis.
Sed non obniti, nec tantum tendere contrà
Sufficiunt, superant venti, pugnantque procellæ
Acrius, adverso sudatur numine frustra.
Heu quid agant, jaciántne virum, miserabile visu,
In tumidos fluctus, & quærant morte salutem?
An potius pereant una cum authore malorum?
Unius at leto multos evadere præstat.
Hæc dubiis tandem potior sententia visa est.
Multa prius summi testantur numina patris.
O pater omnipotens, rerum moderator, & autor,
Quem res nulla fugit, quem non est fallere cuiquam,
Tu scis invitos, tu scis accedere tristes:
Triste ministerium, sed cogit dura mali vis:
Et solum mortem, quam multos, præstat obire.
Ne nos ad pœnas, ne quæsumus optime rerum
Poscito, si salsis hominem demittimus undis.
Hæc via sola patet servandæ lucis amœnæ.
Sic fati, manibus vatem cunctantibus altas
Demergunt in aquas, subitoque agitata quiescunt
Æquora, diffugiunt nubes, solisque reducunt
Lumen, & aurato cœlum splendore renidet.
Ac veluti si quis deprensi criminis autor
Alterius tectum subeat, tutosque recessus
Quærat, eum populus magno clamore sequatur,
Jamque faces tectis, & saxa volantia portis

Injiciat, ſubitum caſum, ſubitumque minando
Omnibus exitium, paries quos continet ille,
Si pœnæ inviſum caput objectare recuſent:
Tum ſi dedatur populo, quem flagitat unum,
Unius ob pœnas ardens citò turba quieſcat.
Aut cum flamma vorax patulum comprendit ahenum,
Intus aquæ fervent, nec ſe capit unda, ſed extra
Exilit: at ſi tum fundatur frigida lympha
In medium, fervor citius dicto ille quieſcat.
Sic maris inflati cuncti cecidere fragores,
Navis ut infeſti relevata eſt pondere vatis.
Obſtupuere viri confeſtim, ſtrata ſilere
Æquora: mirantur, magno non abſque timore,
Illius immenſas vires, qui vaſta movere,
Motaqué tam ſubitò potuit cohibere profunda.
Ergo quaſſatam ventis ad littora ritè
Advertunt navem, tempeſt. tumqué potenti
Sacra ferunt, animos teſtantia munera gratos,
Et poſitis epulis in ficca operantur arena,
Votaqué cœlicolis faciunt pro luce recepta.

Interea Jonas pelago mandatus avaro,
Proſperius leto nil quod ſperaret habebat.
Hic me cœlicolæ veſtro munite favore,
Utqué fidem verum faciat mortalibus ægris
Efficite, & vires ad magna adjungite magnas.

Eſt ſalſis in aquis piſcis balæna tremendus,
Monſtrum horrendum, ingens, cui quovis robore tergus
Durius armatur ſquamis, quæ conciliatæ
Inſtar ſcutorum inter ſe compagibus arctis,
Nulla vi valeant, non ipſo fulmine ſolvi.
Fronte micant oculi media, duo ſidera credas,
Quale micat ſolis præcedens lucifer ortum.
Rari fluctivomo dentes clauduntur in ore,
Qui teneant aditum, quali munimine portas
Cancellis clauſas, & ferro ſæpe videmus.
Faucibus è patulis efflatur torrida flamma.
Naribus è geminis exhalat fumus in auras:
Non aliter, quàm cum patulo ſuggeſtus aheno
Ignis edax urget latices, & fomite multo
Accenſus coſtas diverberat, æſtuat unda,

Spumaſq

Spumasque, & nigrum jacit irrequieta vaporem.
Horrida colla tument, nullo lassanda labore.
Membra rigent, nullis obnoxia viribus: ossa
Inter se compacta, trabes non arctius hærent,
Robore quæ portant invicto tecta domorum.
In media monstri membrorum mole riget cor,
Durius incude, & scopulo compactius alto.
Non illum validi juvenes, non lædere tela,
Quæ multa excudit mortalis cura laboris,
Valeant: ferrum juxtà, stipulamque refringat.
Quin mare multivium, magno se corpore vertens,
Fervefacit, motusque imo ciet æquora fundo.
Et sternit scopulos, & spargit fluctibus auras.
Non illo maius monstrum, qui condidit orbem,
Edidit in lucem: non corpore fortius, aut par.
Piscis hic in magno sese versare suetus
Oceano, medium penetrat quandoque per æquor,
Inter & Europæ fines, Asiæque vagatur.
Ut tum marmoreum spirans immane per æquor,
Instar montis habens, montes trudebat aquarum.
Cujus ubi Jonas patulum conspexit hiatum,
Ut videt, ut gelidis terrore rigescit in undis.
At monstrum, quod in hos prudens adduxerat usus
Arbiter, atque pater rerum, dum sorbet aperto
Ore salum, si quam valeat deprendere prædam,
Haurit Amittæi natum (mirabile dictu)
Perque avidas fauces vastam demittit in alvum,
Illæsum: veluti si quis cum jure minutum
Devoret in magna jactatum lance legumen.
Ut primum est lapsus monstri deformis in antrum
Ingens, horrendum, magni sine lumine solis,
Tum verò visus vasto telluris hiatu
Ad tristes umbras, Erebique nigrantia regna
Deveniisse sibi, damnatus nocte perenni:
Tres illic noctes, totidem sine lumine soles,
Inter frusta jacens, interque fluentia tabo
Ossa putri, quæ multa sua condebat in alvo,
Squamigeras cogens immanis bellua prædas,
Delitvit, dubius seu sese crederet auras
Carpere vitales, & adhuc in corpore clausum:

Seu manes inter, vitaque carere carentes,
Et nihil esse, nisi simulacrum corporis expers.
Tertia sed postquam tenebras aurora fugavit,
Et caput ostendit nimbo vestita rosarum,
Ad sese rediit vates, sensumque pusillum
Spem fovet, & revocat solitas in pectora vires.
Ut cum floriferas penetrabile frigus adussit
Herbas, & calamos gelidis siccavit in agris,
Tum si purpureus nascentis tempore veris
Incipiat radiis propioribus arva fovere
Sol, pigroque gelu concretas solvere glebas,
Pandit terra sinus, gremiumque recludit in herbas
Paulatim, lætumque refert renovata virorem,
Aut cum picta legens solerti prata labore
Sedulo apes, pluviis austris oppressa, cadente
Obruitur nimbo, exanimique simillima torpet:
Tum si lætifico sudo consederit imber,
Paulatim tepefacta tuis nitidissime Titan
Motat se radiis, virosque resumit ademptas.
Non aliter Jonas, postquam persensit in imo
Pectore vim superum melius sperare docentem,
Emicat, autoremque boni, fontemque salutis
Talibus aggreditur fidenti pectore dictis:
Omnipotens genitor, rerum cui summa potestas
Jam desperatam præsens revocare salutem,
Te voco, te dubiis suppliex in rebus adoro,
Et querulo faciles aures clamore fatigo.
Da mihi te talem, qualis discrimine summo
Esse soles, veris ubi compellare querelis.
Tu me piscoso mersisti juste profundo,
Inque caput totas horrendi gurgitis undas
In caput hoc unum miseri (miserabile dictu)
Vertisti, effusis irarum sævus habenis.
Et nunc pontivagi tenebrosa piscis in alvo
Abditus, ignotas infelix portor in oras:
Aut ego velivoli per inhospita terga volutor
Luxini, aut præceps sub tartara deprimor atra,
Tartara siderei radiis impervia solis,
Luctus ubi, curæque, catenatique dolores,
Et labor, & longi cubat inclementia leti.

Quò me cunque vehit monstrum deforme per unam,
Sive petit fundum gravidum, fidisque sub ima
Æquora: seu fluctus tergo supereminet atros;
Sive petit montes; medio seu gurgite fertur;
Sive ortum solis, seu sera cubilia spectat:
Sive notum pluvium, boreæ seu frigida regna:
Non possum non esse miser, superûmque parenti
Invisus, cum me solum, quæ sunt data cunctis,
Quatuor immensi fugiant primordia mundi.
Nil tam vulgare est, cujus pars ulla relicta
Sit mihi. nam quid tam totum commune per orbem,
Quàm flatus vivis? quàm tellus lumine cassis?
Ejectis littus? rapidum mare fluctibus actis?
Ast ego sic vivo, dum possum, ducere ut auras
De cœlo nequeam: sic fungar luce suprema,
Ut mea frugiferam non tangant ossa parentem:
Sic undis agitor, ut nullis abluar undis:
Sic tandem ejiciar, ut nec dent saxa quietem.
Et speres Jona finem miserande malorum
Præterea, aut sacri visurum altaria templi?
Scilicet omnipotens toto te corde perosus,
Te, cui quicquid habet rerum natura, negavit,
Servet, & amissæ reddat tibi munera vitæ.
Quid loqueris Jona? quæ te dementia cepit?
Parce malos homines imitari velle, salutem
Desperando, quasi sit debilis omnipotentis
Dextera, vel summi clementia perdita cœli.
Desperent alii, qui turpia facta catenant,
Incurvi in terras, vitæ cœlestis inanes:
Non ego qui didici medio discrimine rerum
A te, summe pater, pendere, tuumqué manere
Auxilium, ô nostros nunquam frustrate vocatus,
Nunc ades, & mersis fer opem mitissime rebus,
Perdere tu solus, solus servare potens es.
Sic tibi multa mea ante aras cadet hostia dextra,
Solventurqué suo per me pia tempore vota,
Et tua laus Jonæ semper celebrabitur ore.
Sic ait, & lucem certa spe præcipit almam,
Nec superûm precibus pulsavit inanibus aulam.
Tempus erat, quo nox tardis invecta quadrigis

Cesserat,

Cesserat, & rebus varios aurora colores
Reddiderat: nitido terras lætissimus ore
Sol illustrabat, radiisque tepentibus undas
Mulcebat tremulas, amissaque gaudia mundo
Reddebat: volucres certatim, luce recepta,
Dulcia per virides iterabant carmina ramos.
Piscis (nanque pater reparabilis arbiter orbis
Jusserat) advertit terræ, siccoque potitus
Undivomas pandit fauces, redditque, fidelis
Custos, depositum jussus, vatemque sub auras
Evomit, & bibulis illæsum exponit arenis.
Quis tibi tunc animus Jona, quæ gaudia menti?
Quásve dabas tanto cœli pro munere voces?
Cum gelidi nigro piscis revolutus ab antro,
Amissi rursum cœli convexa videres,
Solis & auricomi facie fruereris amica,
Et matutina pictarum voce volucrum?
Arbiter omnipotens rerum, quis dicere nomen,
Quisve tuas possit laudes æquare loquendo?
Tu cœli magnos orbes, & lucida torques
Sidera, composito semper currentia motu.
Te tellus, pontusque tremit: tu dira coruscа
Fulmina moliris dextra, nimbosque, notosque
Increpitans agitas, tempestatesque coerces.
Te fœdi proceres, erebique nigrantia regna,
Horrescunt: tibi mors dominatrix ultima paret,
Jussaque quas hausit vitas in corpora reddit.
Ergo ubi jam sese vesci vitalibus auris
Sensit, & egressum cæcæ formidinis aula,
Non secus obstupuit, quàm si rediisset in alvum
Matris, & æthereas rursum veniisset in auras.
Interea supera missus de parte minister
Venerat, & liquidum tranarat præpete penna,
Et tali vatem compellat voce morantem:
Nunc etiam dubitas Jona, nec jussa capessis?
An nondum justas sensisti numinis iras?
Ipse sator rerum tibi me dimittit Olympo,
Qui te servavit, tenebris quem texerat idem:
Ipsius esse puta, quæ nunc tibi verba reporto.
I, pete turrigeris præcinctam mœnibus urbem,

In quam pœnituit jussum renuisse venire,
Fidenterqué Dei mandata priora referto.
Hæc ait, & tenui sublatus nube recessit.
Tum demum Jonas superis parêre periclo
Edoctus tanto, non mollia jussa capessit,
Mortalemqué jubet cœlo cessisse timorem.
Ergo iter instaurat, vitataqué vadit in arva;
Urbs antiqua fuit, quondam Babylone profectus
Assur in Assyria magno molimine struxit,
Metatusqué solum quantum circundare posset
Plus quadringentis stadiis immania duro
Mœnia fundavit saxo, quæ posset obire
Vix iter emensus tridui, erexitqué sub auras
Alta pedes centum, quorum fastigia ternis
Calcarent juncti plaustris impune jugales.
Quæ ter quingentis aptavit turribus altis.
Urbs armis olim, claris & fœta triumphis.
Urbs opibus fœlix, & divitis ubere glebæ.
Sed postquam longa compositi pace quierunt,
Immensas & opes comportavere beati,
Quos non perdiderant hostes, non acta sub armis
Secula, non sævi series longissima belli,
Perdidit imbellis non longo tempore luxus.
Usque adeò levius quàm copia, fertur egestas;
Ergo mollitiesqué, parumqué virilia facta,
Et Veneris fomes convivia lauta nefandæ,
Et vis, & propria ruitura superbia mole,
Regnabant passim vicos impune per omnes.
Non vir, non mulier, non obsita tempora canis,
Non viridis tenera floreſcens pube juventas,
Non liber, servusve bonum jus norat, & æquum.
Omnes præcipites vesana libido ferebat,
Ignarosqué Dei, contemptoresqué bonorum.
Huic sese Jonas, non mollis nuncius, urbi
Intulit, & longa vicorum ambage per unam
Progressus lucem, vidit fervere nefandis
Omnia flagitiis, securaqué pectora recti.
Tum verò factis pectus concussus iniquis,
Ingenti magnam proclamat voce per urbem,
Clamat, & haud multis verbis mala multa minatur,

O Ninive, nimium jam nobilitata piandis
Flagitiis, quibus es summo quoque cognita cœlo,
Nunc secura quidem gaudes, & perdita luxu
Diffluis, ó vitæ, rerumqué ignara tuarum.
Sed mea vos cives, memori mea pectore dicta
Condite, quem misit rerum pater, atque hominum sanc.
Cum nitidus terras decies quater ambierit sol,
Atque superba Ninus fundo ruet omnis ab imo.
Hæc ubi fatidico vates est ore locutus,
Diditur hæc totam confestim fama per urbem.
Continuò trepidare viri, summiqué timere
Vim patris, & meritas tam turpi crimine pœnas.
Ergo continuò fastum domitura procacem
Omnibus indicunt rigido jejunia jussu.
Sordida tum fœdis induti corpora saccis,
Immundoqué caput conspersi pulvere, proni
Ostendunt animos vitæ melioris aventes,
Suppliciterqué Deum veniam, pacemquè precantur:
Matres, atque viri pariter, juvenesqué senesqué
Hoc faciunt: urgent extrema pericula cunctos.
Quæ res ut vacuas regis pervenit ad aures,
Commotus tantis superûm monitisque minisque,
Protinus è solio, gemmis, auroque coruscus,
Desilit, & gravidam baccis, operisque tiaram
Barbarici specimen, capiti deturbat, & omnem
Excutit ornatum, regalis signa decoris.
Tum crines flavos lugubri pulvere fœdat,
Et centone caput vili velatus honestum,
Jam non elatus, jam prono corpore supplex,
Abjectusque jacet, regemque nitentis Olympi
Agnoscit dominum, regnatoremqué salutat,
Et rogat incensa facilis desistat ab ira.
Quinetiam tota clamari jussit in urbe
Nomine cùm procerum, tùm regis, néve Lyæi
Munera neu Cereris cuiquam gustare liceret.
Neve famémve, sitímve ullo restinguere pacto.
Non illis quisquam jejunia dicta diebus
Solvit vel juvenis, vel longo debilis ævo.
Lactea nec teneræ plorantibus ubera natis
Indulsere suis matres, pappámve dederunt.

Quin

Quin ipſæ pecudes etiam rationis egentes
Teſtari juſſæ luctus, & fomite vitæ
Privatæ ſolito, jejunia mœſta doceri.
Tum nec equi dulcem lotum, nec gramina tauri,
Nec virgulta capræ, nec glauca ſalicta bidentes,
Nec duram tardus cynaram guſtavit aſellus,
Nec mammas agni ſuxerunt lacte tumentes.
Omnia lugebant, lapides mœrere putares.
Omnia ploratus, & fœminei ululatus
Mœnia miſcebant: omnes uno ore rogabant
Factorum veniam paſſis ad ſidera palmis,
Et ſe ſpondebant meliores deinde futuros.
O pater, ô terræ regnator, & ætheris alti,
Si genus humanum dignas vis pendere pœnas
Criminibus, ſummo nihil ut de jure remittas,
Quem non fulmineo perdet tua dextera telo?
Ilta ſed immenſum clementia nota per orbem
Deſperare vetat, parvis tu crimina magna
Suppliciis mulctas, idem prolixa puſillæ
Præmia virtuti reddis: tu mitis, & idem
Placari facilis, pernicem tardus ad iram.
Parce pater leto ferali facta piare
Impia: parce neci totam demittere gentem.
Sic tua nos mundum vulgemus facta per omnem,
Et ſervatoris feriamus ſidera laude.
Sic quaſcunque vagus rapido circumluit æſtu
Oras Oceanus, metuant tua numina gentes:
Et te terrarum, quantus patet, orbis adoret.
Sic omnes precibus poſcebant rite ſalutem.
Pellitur extemplò mutata faſtus ab urbe.
Pro molli luxu, pro debaechante rapina,
Vita ſuo contenta ſubit, moreſqué modeſti.
Deſidiam mollem, & Veneris mala gaudia fœdæ,
Pellit ſobrietas, & mens intenta labori.
Nec mora, jam liceat renovatos cernere cives.
Ac veluti ſi quis videat viridantibus agrum
Herbis veſtitum, nitido ſplendeſcere cultu,
Quem modò præteriens incultum vidit, & hirtis
Sentibus horrentem, ſtupeat, greſſumqué viator
Siſtat, & ipſe ſuis oculis vix credat eundem

Esse locum, dum pro spinis, tribulisque hirsutis,
Grandia venturas conspexit in horrea messes.
Non secus antè bonis ebriam, dulcique sepultam
Fortuna Niniven si quis vidisset, & alta
Errorum immersam caligine, præcipitemque,
Admirabundus vix credere posset eandem,
Cum cives alios, diversaque facta videret.
Tantum terrificæ vatis potuere loquelæ.
Hac pater omnipotens placatus relligione,
Luctificas ponit, quas jam conceperat, iras.
Quosque modò prorsum voluit delere, quietum
Accipit in cives animum, mentemque benignam,
Et lachrymis victus facilis peccata remittit.
Ut cum rex urbi despectus dira minatur
Supplicia, & lecto molitur milite bellum,
Jamque iter invasit justa bene peritus ira.
Tum si oratores veniam, pacemque precantes
Occurrunt, ultrò missi, clavesque reclusæ
Prætendant urbis, obtestenturque voluti
Ante pedes regis, dubitat, paulumque moratus
Flectitur, & venia factos dignatur amicos.
Aut cum sæva parens intentat verbera nato,
Si genua amplectens supplex, & tristia densis
Ora rigans lachrymis, per patris amabile nomen
Oret, ut haud posthac facturo talia parcat,
Neu velit in natum procedere longius iras:
Frangitur, & dulci genitor lenitus amore,
Exarmatque manum ferulis, noxamque remittit.
Usque adeò blanda tristis prece vincitur ira.
At non hæc Jonæ placuit mutatio rerum.
Indolet, & sese nequiquam dira minatum,
Non ullas pœnas pensuræ funera genti,
Angitur, & tumido rumpit de pectore voces.
Conditor omnipotens, cui gens Hebræa sub arctis
Legibus, unanimis divinos libat honores,
Tùne regis terras, & justis omnia pensas
Lancibus? an frustrà te fulminis horrida tela
Vibrantem horremus, cassaque per alta coruscant
Flammæ, quæ pavidos spernendo murmure terrent?
Gens inimica tibi, gens commaculata nefandis

Flagitiis

flagitiis, fuso gens sanguine tincta bonorum,
Vivet, & ô superi, felix, securaque vivet?
Et nunc ille tuo jussu suprema minatus
Invisæ stirpi, mortis discrimine parvo,
Scilicet egregius vates, irrisus abibo,
Falsaque pro veris, pro certis dixero vana.
Et quisquam factis formidet lædere numen
Præterea, aut sanctis exornet honoribus aras?
Nimirum in patriæ charis hæc omnia vidi
Finibus, atque animo præcepi cuncta notante:
Marmoreumque ideò, fugiens tua jussa, per æquor
Exibam, Cilicum vitam ducturus in orbe,
Atque tuis ripis novus accola Cydne futurus.
Quippe sciebam te, clemens ut es, atque benignus,
Parcere supplicibus, quàm fontes plectere, malle:
Passuramque nihil Niniven capitale videbam.
Ergo quid superò, telluris inutile pondus?
Quid moror in terris? ô tu, qui totius orbis
Arbiter es, cujus rutilant vaga sidera nutu,
Vel me fulmineo correptum dejice telo
Ad tristes Erebi manes, noctemque profundam:
Vel quocunque modo conjunge silentibus umbris.
Quælibet invisa vita jucundior est mors.
Hæc ait indignans, & se citus extulit urbe,
Et qua Sol oriens obliqua mœnia luce
Detegit, & longè turres ostendit apertas,
Urbis in aspectu lentis umbracula texit
Frondibus, & rapido sese defendit ab æstu,
Expectatque dies, aliquot finemque requirit
Anxius, aspiciens urbem, quam culmine summo
Præcipitare cupit, celeremque videre ruinam.
Demens: ut si quis malit cum vulnere vitam
Tolli, quàm tetrum depelli corpore morbum,
Interea rapido foliis arentibus æstu,
Altus inoffenso penetrabat lumine Titan,
Et tremulo vatem male tectum ardore coquebat.
Frugiferens sed enim tellus, parère potenti
Jussa Deo, vati viridantem texuit umbram.
Est foliis amplis, genibusque cucurbita crebris,
Herba brevi pernix diffundere tempore ramos.

Verum debilis est, & ni sit fulta, caduco
Procumbit culmo, nec in aëra surgit apertum.
Hæc eadem sese, sensim rimata quod usqu am est,
Erigit, & teneris quicquid nanciscitur, arctè
Claviculis, tanquam manibus, complectitur, atque
Multiplici lapsu huc, illuc, prodiga, serpens
Luxuriat, parteſque pro terva vagatur in omnes,
Hanc tum fœtifica cœli vi docta potentis
Omniparens tellus, noctis mollita tepore,
Et matutino lenteſcens semine roris,
Extulit, & vacuas herbam protrusit in auras,
Pauper ubi miseri surgebat pergula Jonæ.
Quæ manibus sensim nitens, totumque pererrans
Ambitiosa locum, cameræ fastigia raræ
Ascensu superat: tum toto culmine victrix
Expatiata, vagis foliis contexuit umbram,
Et nimium vatis defendit vertice solem.
Cujus ubi sensit dulci recreatus amictu,
Non secus est tacito gavisus pectore, quàm qui
Ancipiti fessus certamine, vidit amicum
Auxilium, sociasque manus succurrere missas.
Tanta sed exiguum tenuerunt gaudia cursum.
Nam cum prima novo lustraret lumine terras
Picta rosis digitos croceis aurora decoros,
Exiguus vermis (nam sic pater ipse volebat)
Assiduis herbæ nodosum dentibus usque
Corrosit caulem, quà radix incipit, & quà
Hæret adhuc matri folioſa cucurbita terræ.
Hinc jam sole novo terras ardore coquente,
Aruit herba citò, noto privata liquore,
Et miserum grato spoliavit tegmine vatem.
Dein levibus pennis Nabathæo missus ab orbe,
Vertice de Jonæ siccam rapit improbus herbam,
Et rapidis nudum radiis caput objicit Eurus.
Impatiens, gelido nudatus tegmine, Jonas,
Æstuat, & Phœbi cancro propioris anhelis
Exc quitur flammis, & languida membra volutat,
Nunc latus obvertens dextrum, nunc ille sinistrum,
Nunc dorso excipiens Titanis flammea tela:
Non secus ac verubus caro circumjecta, voraces

Vertitur ad flammas, & sudat tosta liquorem.
Qua postquam sese cernit gravitate malorum
Implicitum, fervet, stomachoque indulget, & iræ:
Et qui luctifico tumulatus piscis in antro,
Antro quo non est Titanum tristior aula,
Orarat superos jucundæ munera vitæ,
Optat tantillum leto finire dolorem.
Quem simulac tali pater anxietate teneri
Sensit, de cœlo sic est affatier orsus:
Siccine te vates amissa cucurbita torquet?
An te digna facis? reddit cui talia vates?
Digna ne me faciam quæris? ne tu mihi dexter
Adsis, digna nisi res est hæc mortis amore.
Sic ait iratus, Genitor cui talibus infit:
Ergo te moveat correpta cucurbita vento?
Herba tuo nullo nec culta, nec aucta labore,
Quam nox una tibi peperit, nox abstulit una?
Me nihil ampla Ninus moveat, quæ mœnibus ambit
Millia bis capitum decies, & millia centum,
Amplius aut vilis turbæ, ignaræque nocendi,
Ignaræque manum lævam dignoscere dextra?
Ut taceam pecoris numerum, non abjiciendi.
Et tantæ gentis suades, male fave, ruinam?

HYMNUS IN DEUM.

OMnipotens genitor, quo vox mortalis adire
Argumenta queat laudum divina tuarum?
Tu cœli varios orbes, terraque creasti
Immotam molem: tum claro lumine mundum
Illustrando, diem paribus succedere nocti
Jussisti spatiis: medio deinde aëra tractu,
Infernis volucres ab aquis discludere nimbos,
In partesque imas detectæ flumina terræ
Defluere, atque cavas late complere lacunas.
Mox patefacta tuo jussu, genus omne sub auras
Arboreum trusit tellus, herbasque virentes.
Ducturusque diem Titan, & Cynthia noctem,
Sidereique ignes reliqui, convexa per alta
Splendentes, liquidi tennerunt ætheris oras.
Tum pisces in aquis, & corpora picta volucrum
Emicuere ab aquis: pecorum tum terra creatrix,

Serpen-

Serpentumqué dedit varium genus, atque ferarum.
Postremoqué hominem magna ratione creauit,
Magnæ participem mentis, cui cætera cuncta
Subjicerentur, aquæ pisces, cæliqué volucres,
Cumqué parente sua pecudes telluris alumnæ.
Qui cum fatali gustasset ab arbore fructus,
Conflasset qué sibi duros cum morte labores,
Contactumqué suo vitiasset crimine mundum,
Tu genus humanum magno miseratus amore,
Unigenam terris largitus es, optime, natum,
Qui crimen lueret, quod non commiserat ipse,
Atque suo nobis repararet sanguine vitam,
Et nos æterno tibi fœdere conciliaret,
Et cœli tristes terris averteret iras,
Omniaqué in melius, casu labefacta, referret.
Quid non oratus pater optime, maxime, nostro
Concedes generi, qui natum sponte dedisti?
O amor, & pietas: ponamus corde timorem
Jam licet, & nobis de te omnia polliceamur.
Tu clemens, tibi fas cunctum mortalibus ægris
Omnia largiri, qui te, natequé potenti
Fidimus, & nobis promittimus omnia de te.
Salve magne pater: te mitem barbara quondam
Est experta Ninus, da nobis cernere nati
Regna tui, charo deleris sanguine culpis,
Cœlestisqué domus epulis gaudere beatis.

MOSIS CARMEN,

Quod cecinerunt Israëlitæ, ubi ex mari rubro evaserunt.

DE Jova carmen recinam potente,
Laude qui dignum facinus patrarit,
Dum maris fallax equites, equosqué
Vertit in undas.
Is meæ vires tribuit camœnæ,
Is mihi confert placidam salutem,
Hoc meis cultum patribus decenter
Numen adoro.
Numen & nomen creperi decorum
Gloria belli, modo quod quadrigas,
Et manus duri Pharaonis altis
Obruit undis.

O mihi magni decoris magistra
Dextra, quæ sævos malè frangis hostes?
O Jovæ victrix manus? ô superbi
Perditor hostis.
Quem tuæ missus violenter iræ
Ardor absumpsit celeri ruina:
Aridos sicut solet ignis ardor
Urere culmos.
Ergo spiranti tibi cessit humor:
Et maris forti cumulata vento
Unda concrevit, liquidoque sepsit
Agmina muro.
Dixerat hostis: Sequar, assecutus
Dividam prædam, rutiloque ferro
Dividam captos, animumque pœnis
Exaturabo.
Sed vagum flabris mare concitatum,
Flante te, fastus retudit minaces,
Instar ut plumbi peterent profundi
Gurgitis ima.
Quis tibi divûm Jova comparandus?
Quis tuum sanctum decus, ô tremende,
Quis tuas laudes, quis adæquet actos
Magne triumphos?
Tu nigrum dextra valida sub Orcum
Hoste detruso, populum redemptum
Lenis abducis, propriaque firmas
In statione.
Audiant factum, stupeantque gentes.
Hinc Palestini trepident: Idumes
Æstuent pagi: Moabi tremiscat
Clara propago.
Perdat & vires Cananæa tota,
Et graves amens cadat in pavores:
Ac velut cautes fileat, stupendo
Territa facto.
Dum tui transit, Jova gloriose,
Dum tui transit populi caterva:
Quem tibi tanto precio benignus
Conciliasti.

Quemque

Quemqué deductum statues in altum,
Et tuis montem manibus revinctum ;
Quæ tibi sedes domino, tuisqué
Certa paratur.
Regnet æternùm Jova, qui secutos
Cum suis currus dominis per altum,
Atque equos diri Pharaonis ätris
Fluctibus hausit.
Cum tamen chari soboles Jacobi
Presserit sicco pede dissipati
Æquoris fundum, mediosqué tuta
Viderit æstus.

FINIS.

Sequuntur Epitaphia quædam in laudem Seb. Castalionis, *Impressa* Bremæ, 1618.

EPITAPHIA SCRIPTA A PAULO CHERLERO Elsterburgensi studioso.

In Obitum Clarissimi, Optimi, Doctissimique viri, vera pietate & humanitate præstantis, D. SEBASTIANI CASTALIONIS, *Præceptoris sui observandi, semperque charissimi : qui piè & sanctè in Domino obdormivit* Basileæ, *Anno Christi* 1563. *die* 29. Decembris.

ISte locus niveo substratus marmore terræ,
Viscera defuncti *CASTALIONIS* habet.
Pars animæ melior patrio successit Olympo,
Cúmque Deo cœli regna beata colit.
Non fuit excelsa prognatus stirpe parentum :
Non longum celebri sanguine stemma tulit.
Nec vel divitias magnas, tectúmque superbum,
Nec potuit fundos commemorare suos.
Ingenio valuit tantùm, pietate fidéque,
Et mera paupertas, quod fuit, omne fuit.

Hac

Hac potuit ſeſe celebrem jactare per orbem.
Nam Patrimonii res fuit iſta loco.
Pauper erat natus, primis adolevit ab annis
Pauper, & extremum pauper ad uſque diem.
Sed tamen in Domini verbo, Chriſtiquè favore,
Quas coluit, magnas dives habebat opes.
Quas non ærugo rodit, nec tinea rodit
Dentibus atque nihil fur ubi juris habet.
Ingenuas artes tenero ſtudioſus ab ævo
Imbibit & Clariis ora rigavit aquis.
Atque ipſum juvenem quamvis Academia nulla
Viderit, optato condideritquè ſinu:
Sic tamen Aonias altè caput ipſe per artes
Extulit, ut toto clarus in orbe foret.
Lugduni docuit primùm, linguamquè Pelaſgam
Iſta nobilibus legit in urbe tribus.
Poſtea conceſſit florentem laude Genevam
Muſarum, ſtudiis tempus ut omne daret.
Sed, quia paupertas, multis inimica, premebat,
Pauper ibi ludi munera rector obit.
Et per tres adeò fidus, non amplius, annos
Imberbes juvenes, agmina parva, docet.
Tandem cujuſdam quoniam mala ſtructa timebat,
Cum quo religio non erat una ſibi:
Suſpectos liquit fines, & limen avarum,
Teutonicæquè venit pauper in arva plagæ.
Quem demum recipis Muſarum candida mater,
Inclita non tepido tu Baſilea ſinu.
Hic quia nudus, inops, ſimul & paupertimus hoſpes
Venerat, obſcuro ſedit in urbe loco,
Pauperis & tuguri congeſta è cæſpite, parva
Præbuit hoſpitii frigida regna, domus.
Et quia nec fulgens aurum, nec nobilis æris
Copia, nec nummus ſæpe vel unus erat,
Jejunas crebrò cœnas & prandia nudo
Sumere cum parva prole ſolebat agro.
Quinetiam, urentis quò poſſet frigora bruma
Pellere, vel tenues ritè parare cibos,
Ex Rheno manibus venientia ligna trahebat,
Cùm gravis ingentes ſuderat imber aquas.

Nec pudor interdum piſces captare ſub undis,
Nec pudor & raſtris findere pingue ſolum,
Ut charam uxorem poſſet, ſobolemque tenellam
Hinc alere, & ſortis damna levare ſuæ.
Sic miſerè vitam degebat: poſtea donec
Eſt data per doctos tunctio grata viros,
Ut Graiæ rurſus linguæ monumenta doceret,
In noſtra, ſervas quam, Baſilea, ſchola.
Quam curis obiit magnis: docuitque juventam
Perpetuò fida ſedulitate ſuam.
Iſocratis libros, & libros acris Homeri
Explicuit, magna non ſine laude ſua.
Ac, ſi menſe ſuos tantùm potuiſſet in uno
Efficere & doctos diſcipulósque bonos,
Ipſe peperciſſet nullis conatibus unquam:
Tam fuit & fidus, tam fuit ipſe probus!
Tum, quæ quotidie fida bene voce monebat
De ſtudiis, veri dequé timore DEI:
Horum lumen erat vivum, ſpeciménque probatum
In vita cunctis, quod ſequerentur, erat.
Interea verò privatos usque labores
Sumpſit & his etiam tempora juſta dedit.
BIBLIA convertit Latio ſermone: diſertos
Argolicos Latio fecit & ore libros.
Carmina jam pepigit, jam Graios inde relegit
Auctores, fieri puráque cuncta dedit.
Atque utinam nondum tempus fatale vocaſſet,
Scripſiſſet doctis plura legenda viris.
Sed, quia te nobis rapuerunt numina ſæva,
Arbitriis quorum ſubdita turba ſumus:
Vade age, Caſtalio, patriáſque receptus in oras,
Nunc cape cœleſti gaudia vera throno:
Cùmque tuo Chriſto, quem corde atque ore profeſſus
Semper es, æternos vivere perge dies.
At nos interea, donec DEUS ire jubebit,
Hîc erimus memores laudis ubique tuæ.
Dùmque ſuas ſilvæ frondes, dum germina campi,
Sidera dum cœlum, dum vehet amnis aquas,
Ingenii monumenta tui, pietásque manebunt,
Candorisque tui fama perennis erit.

ALIUD

ALIUD BREVIUS EPITAPHIUM,

Quod continet & annum ætatis ipsius, & mensem ac diem, quo obiit, & numerum liberorum, quos moriens post se reliquit.

HIc sub cadenti, Præceptor, marmore dormis:
Vivis adhuc, quamvis te fera Parca tulit.
Et vives, nam laude virûm qui dignus habetur,
Ullo Musa vetat tempore sancta mori.
Ipse quater denos, atque annos insuper octo
Vixisti terris pauper, & exul, inops.
Inde dies quando vigesima nona Decembris
Orta fuit, cœli sidera celsa petis:
Linquis in hoc autem natos bis quattuor orbe,
Fœmellas æquè quattuor, atque mares.
Hos Deus, hos omnes patrio curabit amore,
Pupillis gaudet qui pater esse suis.
Qui fueris porrò, non est memorare necesse:
Fœlix, qui fiet par, pietate tibi.
Fœlix, qui fiet par bonitate tibi.
Fœlix, qui novit, sicut & ipse, Deum.
Fœlix, qui vivit, sicut & ipse, Deo.
Fœlix, qui moritur, sicut & ipse, Deo.

Aliud heroicum;

IN QUO, IN PRINCIPIO SINGULORUM VERSUUM HIC JACET: *in medio*, CASTALIO: *in fine* M. D. LXIII.

Sic leges

Hoc tua, Castalio,	Conduntur cæspite	Membra:
Illiúsque manent	Ad tempora læta	Dici.
Cœlestes autem	Sedes mens vivida	Lustrat:
Isquè Deo gaudens	Tenet almæ gaudia	Vitæ.
Ante homines	Antiqua fides & candida	Virtus
Cura tibi fuit, &	Lusus tuus, omnia	Justè:
Et pia simplicitas	In te vivebat: ab	Illis
Tu meritò donis	Omni celebraris	In orbe.

ALIUD DE MONUMENTO. *Quod Ei Tres Poloni, juvenes Nobiles, Discipuli ejus, gratitudinis ergò locarunt: in summi Templi* Basilicensis *peristylio, in Pavimento.*

HOc tibi nunc nostri monumentum & pignus amoris,
Quo te prosequimur, chare magister, habe.
Quod tibi tres ponunt juvenes, natione Poloni:
Ah fratres quondam, discipulique tui!
Vive per æternos, præceptor, amabilis, annos.
Mente, polo: fama, semper in orbe manes.

TUMULUS CASTALIONIS.

JOVÆ OPT. MAX. S.

SEB. CASTALIONI ALLOBROGI, GRÆCARUM LIT. IN ACAD. BAS. PROFESSORI CELEB.

Ob multiformem eruditionem, & vitæ innocentiam doctis piisque viris percharo.

PRÆCEPTORI OPT. AC FIDELISS. STANISLAUS STARZECHOWSKI, JOANNES Ostrorog, & Georg. Niemsta, Poloni.

UT ET POP. SUORUM, QUI EUM AUDIERANT, VOTO,

ET PRIVATÆ PIETATI SATISFACERENT,

AD PUB. LUCTUS SOLATIUM

H. M. B. M. P.

OBDORMIVIT IN DOMINO, ANNO CHRISTI SAL.

M. D. LXIII.

IIII. KAL. JANUARII,

ÆTATIS SUÆ XLVIII.

In Gratiam Juvenum, & utile & dulce spectantium (& nè duo foliola sint prorsus vacua) adjecimus Symbolum Apostolicum, Decalogum, & Orationem Dominicam, Latino Carmine, Vertente Patricio Adamsono Scoto, *Poëta elegantissimo. Nec non* Rythmos Hildeberti (Turonensis *Archiep. circiter annum Dom.* 1100.) *de Sacro-sanctâ Trinitate.*

Symbolum Apostolicum.

IN summum confido Deum, Patrem omnipotentem,
Auctorem cœli, & terræ. Christumque in Iesum
Vnigenam illius sobolem, Dominumque piorum.
Qui sacro conceptus erat spiramine; natus
Virginis ex utero Mariæ. Tormenta Pilato
Judice perpessus, cruci fixus, mortuus, atque
Clausus humo, tristes Erebi descendit ad umbras:
Luce resurrexit ternâ redivivus, ad alti
Tecta poli ascendit victor; dextræque parentis
Assidet, in cœlo & terra cui cuncta potestas.
Inde olim adveniet cunctos ut judicet, & qui
Vivent, & quotquot tam longa absorbuit ætas.
Confido in sanctum flamen; sparsumque fidelem
In terris cœtum credo; & communia dona
Sanctorum, gratisque illis peccata remitti:
Experrecturam putri de pulvere carnem
Spero, ac in cœlis vitam sine fine beatam.

Decalogus sive Lex Dei.

ADverte Israel, memorique hæc mente repone.
Sum Dominus, Deus ille tuus, qui Egyptia solvi
Vincula, qui Pharii eduxi tellure Tyranni:
Ante oculos aliena meos nè numina habeto.
Sculptile nè faxis ullum, simulacrave rerum,
Quæ sunt in cœlo suprà, aut tellure premuntur
Inferiùs, liquidove animans sub marmore serpit.
Nè coràm inclines, nullo dignabere cultu.
Namque ego sum æternus vester Dominusque Deusque,
Zelo ardens, Patrum in natos delicta rebelles
Ulciscor:

Ulciſcor: quæ me ſoboles, pro more parentum
Oderit, in terno & quarto luet ordine pœnas.
At quem cæpit amor noſtri, legiſque lubenter
Obſequitur monitis, ejus milleſima cernet
Progenies, quàm larga adſit clementia nobis.
Ne ſume incaſſum Jehovæ venerabile nomen,
Nam contemptorem Dominus non linquit inultum.
Sabbata ſanctificato, memor: ſex rite diebus
Indulgeto operi: Jehovæ lux ſeptima magni eſt
Sacra quies: nullos illâ exercere labores
Fas eſto, tibi, nec nato, natæ, famulove,
Ancillæve, bovive, aſinove, aut jure recepto
Hoſpitii: nam ſex terræque polique diebus
Machina conflata eſt: ſeptenâ luce quievit,
Sacravitque diem ventura in ſæcla beatum.
Patrem proſequere, & Matrem reverenter honore;
Longævam ut fœlix poſſis traducere vitam,
In ſanctâ Jehovæ conceſſâ munere terrâ.
Ne quemquam occidas. Alieni fœdera lecti
Ne violes. Furto abſtineas. Ne teſtis iniquus
Vicino ſis innocuo. Nec tecta propinqui
Concupias, junctamve thoro, famulumve miniſtrum,
Ancillamve, bovem, aut aſinum, aut quòd dicere poſſit,
Jure ſuum: nullo illius flagrabis amore.

Oratio Dominica.

ALme Parens noſter, celſi ſuper atria Cœli,
Sanctificata tui majeſtas numinis eſto.
Adveniat tandem ſperati gaudia regni:
Utque tibi Cœli gaudent parere cohortes,
Sic tua per terras fiat ſacrata voluntas.
Da nobis hodie diuturni pabula victus:
Debita condona nobis, debentibus ipſi
Ex animo cunctis ceu condonare ſolemus.
Ne nos in cæcas Satanæ inducito fraudes,
Sed ſerva à pravo: Regnum ſine fine perenne
Eſt tibi, cuncta poteſtas, cunctaque gloria. fiat.

Rythmi

Rythmi Hildeberti de *Sacro-ſanctâ Trinitate.*

ALpha, & Omega Deus, Eli, Eli, Deus meus:
Cujus virtus, totum poſſe, Cujus ſenſus, totum noſſe;
Cujus eſſe ſummum bonum, Cujus opus quicquid bonum;
Super cuncta, ſubter cuncta, Extra cuncta, intra cuncta;
Subter cuncta, nec ſubſtratus, Super cuncta, nec elatus,
Intra cuncta, nec incluſus, Extra cuncta, nec excluſus.
Super totus præſidendo, Subter totus ſuſtinendo,
Extra totus complectendo, Intra totus in complendo.
Intra nuſquam coarctaris, Extra uſquam dilataris,
Subter nullo fatigaris, Super nullo ſuſtentaris.
Mundum movens non moveris, Locum tenens non teneris,
Tempus mutans non mutaris, Vaga firmans non vagaris.
Vis externa vel neceſſe, Non alternat tuum eſſe.
Heri noſtrum, cras, & pridem, Semper tibi nunc, & idem
Tuum, Deûs, hodiernum Indiviſum ſempiternum.
In hoc totum prævidiſti, Totum ſimul perfeciſti,
Ad exemplar ſummæ mentis Formam præſtans Elementis.
Nate, Patri coæqualis, Patri conſubſtantialis,
Patris ſplendor & figura, Factor factus creatura.
Carnem noſtram induiſti, Carnem noſtram ſuſcepiſti,
Sempiternus, temporalis, Moriturus, immortalis,
Verus homo, verus Deus, Impermixtus homo Deus.
Non converſus hic in carnem, Nec minutus propter carnem,
Hic aſſumptus eſt in Deum, Nec conſumptus propter Deum,
Patri compar Deitate, Minor carnis veritate.
Deus Pater, tamen Dei, Virgo mater, ſed & Dei.
In tam novâ ligaturâ Sic ſtat utraque natura,
Ut conſervet quicquid erat, Facta quiddam quod non erat.
Iſte noſter Mediator, Iſte noſter legiſlator:
Circumciſus, baptizatus, Crucifixus, tumulatus,
Obdormivit, & deſcendit. Reſurrexit, & aſcendit.
Sic ad Cœlos elevatus Judicabit judicatus.
Paracletus increatus, Neque factus, neque natus;
Patri conſors, genitoque, Sic procedit ab utroque,
Ne ſit minor poteſtate. Vel diſcretus qualitate,
Quanti illi, tantus iſte, Quales illi, talis iſte,

Eu

Ex quo illi, ex tunc iſte, Quantum illi, tantum iſte!
Pater alter, ſed gignendo; Natus alter, ſed naſcendo:
Flamen ab his procedendo, Tres in unum ſubſiſtendo.
Quiſque trium plenus Deus, Non tam dii, quam ſunt Deus
In hoc Deo, Deo vero, Tres & unum aſſevero;
Deus unæ unitatem. Et perſonis Trinitatem.
In perſonis nulla prior, Nulla major, nullu minor
Unaquæque, ſemper ipſa, Sic eſt conſtans atque fixa,
Ut nec in ſe varietur, Nec in ullam tranſmutetur.
Hæc eſt fides orthodoxa: Non hic error ſive noxa.
Sicut dico, ſic & credo Nec in pravam partem cedo.
Inde veni, bone Deus, Ne deſperem, quamvis reus.
Reus mortis non deſpero, Sed in morte vitam quæro.
Quo te placem, nil prætendo, Niſi fidem, quam defendo;
Fidem vides: hac imploro, Leva faſcem, quo laboro,
Per hoc ſacrum cataplaſma, Convaleſcat ægrum plaſma.

FINIS.